JOHANNIS MACCOVII
SS. Theol D. & Professoris.

DISTINCTIONES

ET

Regulæ Theologicæ ac Philosophicæ.

Editæ Operâ ac Studiô

NICOLAI ARNOLDI,
SS. Theol. D. & Professoris in
Academiâ Franekernâ.

OXONIÆ,
Ex Officina Typographica HEN. HALL,
Impensis ROBERTI BLAGRAVII
Bibliopol. *Oxon*, M. DC. LVI.

DISTINCTIONES

ET

Regulæ Theologicæ ac Philosophicæ.

Editæ Operâ ac Studiâ

NICOLAI GRNOLDI,
SS. Theol. D. & Professoris in
Academiâ Franekernâ.

OXONIÆ,
Ex Officina Typographica HEN. HALL,
Impensis ROBERTI BLAGRAVII
Bibliopol. Oxon. M.DC.LVI.

Nobili, ac Generoſâ Proſapia oriundis nec minori virtutum nobilitate conſpicuis

VIRIS JUVENIBUS

D. STANISLAO,
de Sbaszyn Sbaski.

D. CHRISTOPHORO,
de Gruzew Grusewzki Judicidæ Samogitienſi.

D. JOHANNI MELCHIORI Bielewicz.

D. GEORGIO Bielewicz, Nobilibus Polonis.

Generoſi, Magnifici, ac Nobiliſſimi Domini.

OMnes homines, ab uno originem traxiſſe, certum eſt', teſtatur Scriptura, Act. 17. 26. *fecítque ex uno ſanguine totam gentem hominum*; ſubſcribit ratio, quia, multitudinis principium Unitas. Virtus ſola, nos æqualiter natos, diſtinguit: & quorum ope extollit, eos nobiles & claros reddit. Quæ, quamvis moralis ſit naturæ, & proinde traduce non tranſmittatur ad poſteros; tamen *fortes fortibus creari*, experientia docuit, etſi à regula exceptionem faciant, *Herou[illegible] filii noxæ*. Quantumvis autem, dicente Seneca, iis, qui, non nati ſunt nobiles, ſed facti, nihil crudeliùs, juxta illud: *Aſperiùs nihil eſt humili cùm ſurgit in altum*; attamen, *Gratior eſt Nobili veniens*

veniens è corpore virtus. Gratior, inquam, ea eſt, quæ cum nobilitate naſcitur, ac cum bonis, ad prolixam poſteritatis ſeriem tranſmiſſa, hæreditario quaſi poſſidetur jure. Eminet Nobilitas ea, quæ, quod natura largita eſt, arte excolere adnititur. Nam, ut rectè canit Poeta; *Ingenuas didiciſſe Fideliter artes, Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.* Bis, imo ter nobiles ſunt, quorum nobilitas generis, divinarum atque humanarum rerum ſcientia cumulatur: eaque tanquam gemmulis quibuſdam radiantibus coruſca, omnes in amorem, omnes in deſiderium rapit ſui. Quia autem nobilitas *Soli* nulla eſt, niſi eam, ea quæ *Poli* eſt, in hac vita comitetur, in futura, ſubſequatur, ex præſcripto pla-

nè divino mihi res ſuas inſtituiſſe, omnéque punctum tuliſſe videntur, qui miſcent utile dulci, qui, inquam, cum ſtudiis ſuis, quæ eos bonos Patriæ cives reddant, omnium ſcientiarum reginam, Theologiam dico, conjungunt. Ratio dictat, viros nobiles Eccleſiæ nutriſios, rerum earum, quæ Eccleſiam ſpectant cognitione imbutos eſſe debere. Ut enim ignoti nulla cupido, ita cura illius nulla. Hinc illæ lachrimæ, quibus Eccleſia multorum deflet Apoſtaſiam. Quæ non aliunde, quàm quòd hi tales, rerum divinarum penitus ignari fuerint, profecta eſt. Trium Ordinum Reges Scriptura commendat, Melchiſedechum, Regem & Sacerdotem; Davidem, Regem & Prophe-

phetam, regéſque alios tantùm. Coitio Politicæ dignitatis, cum ſacris ordinibus, in iiſdem perſonis, Doctorum calculo innuit, Viros nobiles, cura, ſtudio, atque ſollicitudine rerum ſacrarum, teneri debere. Ipſa Gentilitas, lumine tantùm naturæ irradiata, de talibus ſibi gratulata eſt: *Rex Anius, idem hominum Phœbíq; Sacerdos.* Virgil. Æneid. l. 3. Et Triſmegiſtus *ter maximus* nuncupatus eſt, eò quod fuerit Philoſophus maximus, Sacerdos maximus, Rex maximus. Alex. Neapol. lib. 2. cap. 6. Sed, in Gentium laudes, quod excurram, opus non eſt. Habuit Eccleſia Chriſtiana Alphonſum Arragoniæ Regem, vel eo nomine celeberrimum, quod decies Biblia Sacra cum

gloſſa ordinaria à capite ad calcem evolverit, Theodoſium Imperatorem, qui, non in eo, quod imperaret, ſed quod Imperio Chriſti, quatenus membrum Eccleſiæ, ſubeſſet, gloriæ ſuæ partem maximam collocavit. Nec eſt quod monumenta antiquitatis ſuper hoc excutiam argumento. Celſiſſimus Tranſylvaniæ Princeps, GEORGIUS RAKOCI, cùm clavum Reipub. prudenter manu teneret, rebus divinis immori viſus eſt, ut, atteſtantibus, Reverendo D. GEORGIO THULAI Superintendente in Tranſylvania, pro Concione Funebri, & Cl. Biſterfeldio in parentatione, vicies atque ſepties, codicem ſacrum ab alpha ad omega perlegerit. Dignum Principe Chriſtiano

ſtiano factum, cui ne Diogenes ipſo meridie tæda accenſa parem inveniat. Illuſtriſſimus & GeneroſusD. ZBYGNÆUS de GORAY GORAYSKI, Caſtellanus Chelmenſis, in Colloquio Thorunenſi Charitativo, à parte Reformatorum tam dextrè adminiſtrato immortale ſibi nomen, familiæ decus acquiſivit; acuminis, tum Politici, tum Theologici trophæum erexit.

Horum talium, Vos, Nobiliſſimi Viri-Juvenes, flos Poloniçæ nobilitatis, eſtis propago, avitæque nobilitatis, & virtutis hæredes. Non infimæ laudis eſt, Vobis, quod de meliore luto finxerit præcordia Titan; quod nobili proſapia clari ſitis. At majoris eſt, quod ea, quæ natu-

ræ ſunt, Veſtra exornetis Minerva. Quare mei muneris eſſe exiſtimavi, Vobis, in hoc ſtadio ultro decurrentibus, calcar addere, atque Vos ad imitationem Illuſtrium Majorum Veſtrorum laceſſere. Viſum eſt Deo, me peregrinum, his in oris Eccleſiæ & Academiæ præficere. Sed, *ſi obliviſcar Eccleſiæ Patriæ, obliviſcatur ſui dextera mea; Adhæreat lingua mea palato meo, ſi nō recorder tui, ſi non eveham Eccleſiam Polonicam*, quæ me in ſinu ſuo per tot luſtra fovit, *ſuper caput lætitiæ meæ*. Cum Daniele Jeroſolymam verſus precante, ad orientem ſæpius me converto, ingeminans Davidicum illud: *Sit pax in præmunitione tua*, o Polonia! *tranquillitas in palatiis tuis, propter fratres meos, & amicos meos*

meos propter domum Jehovæ Dei noſtri. Precibus ac voto, operam meam, quantilla illa ſit, conatibus eorum piis, qui in ſpem Eccleſiæ Patriæ hic commorantur, promovendis, addo. Omnibus denique, cujuſcunque ſint Ordinis, Religionis Orthodoxæ, & ſtudii Theologici cultum commendo. Quem etſi Vobis Nobiliſſimi Viri-Juvenes, probè commendatum compertum habeam; tamen non potui non Vobis hac parte ſpontaneis, ſtimulum hunc infigere, atque nomina Veſtra, hac dedicatione manium Maccovianorum venerari. Animum Veſtrum mihi affectum hactenus probaſtis, experiatur eundem & hoc nomini Veſtro dicatum levidenſe munuſculum. Deum ſupplex

Vene-

Veneror, ſtudiis Veſtris ex alto cumulatiſſimè benedicat, peregrinantibus Angelum tutelarem præficiat, Voſque tandem reduces, bonos Patriæ Cives, firmas Eccleſiæ columnas, efficiat! Ita vovet.

Franekeræ
16. Aprilis
1652.

Generoſit. Veſt. addictiſſimus Sympatriota.

NICOLAUS ARNOLDUS
V. D. M. SS. Theol. D. & Profeſſor in Academia Franekerana.

AD

Ad Lectorem.

Non tibi hactenus tritas ac frequentatas in Theologia Sacra & Philoſophia diſtinctiones, è manibus rapio; ſed, ut his, penes alias ſit locus, ſi quâ poſſum, contendo. Fortè, ſi quis in reliquis deprehendetur defectus, eum ſupplebunt; ſi quæ ſit aliarum obſcuritas, explicabunt. Non inuſitatæ ſunt, nec operâ rationis ratiocinantis ad ſimplicioribus fucum faciendum confictæ; ſed ex ipſis rebus natæ, ad breviter & perſpicuè conceptus animi exprimendos, feliciter adhibitæ. Deſideratæ & expetitæ hactenus à multis, quorum voto hâc editione ſatisfacere adlaboravi, ac placere ſtudui. Exemplaria manuſcripta varia

varia cum meo contuli ; errores, negligentiâ fortè deſcribentium irreptitios, correxi ; defectus unius ex omnibus ſupplevi , ut abſolutum ſit omnibus numeris hoc diſtinctionum compendium ; ac priſtino nitori dictantis reſtitutum , & Prodromus quaſi Maccovii Redivivi recudendi . Cæterum , ut minima non curat Prætor , ita nec eorum curo muſſitationes , qui non niſi cum livore hæc talia intuentur , & quibus nil niſi ſuum (Simiæ) pulchrum eſt. Tu Lector, ſi bonus ſis , vale , & fave ſtudiis,

Tui

ARNOLDI.

In-

INDEX.

CAPITUM.

Cap. I.	De Sacra Scriptura.	pag. 1
II.	De Lege.	24
III.	De Euangelio.	32
IV.	De Deo.	38
V.	De Deo Patre.	51
VI.	De Creatione.	61
VII.	De Prædestinatione.	70
VIII.	De Dei Providentia;	78
IX.	De Libero Arbitrio.	86
X.	De Peccato.	89
XI.	De Persona Christi, ejusque officio.	103
XII.	De Fœdere.	121
XIII.	De Justificatione.	124
XIV.	De Regeneratione.	129
XV.	De Bonis Operibus.	135
XVI.	De Ecclesia.	137

XVII. De Sacramentis. 141
XVIII. De statu Animarum ante Resurrectionem. 144
XIX. De Resurrectione. 147
XX. De Innovatione Mundi. 150
XXI. De Glorificatione. 154
XXII. De Condemnatione. 155
XXIII. Centuria Distinctionum generalissimarum. 157

FINIS.

JOH. MACCOVII DISTINCTIONES THEOLOGICÆ.

CAPUT I.

De Sacra Scriptura.

I. VErbum Dei accipitur vel pro Scriptura, & dicitur verbum Propheticum, vel pro Filio Dei, quatenus eſt, & dicitur verbum ἔμφυτον internum, ut Johan. 1,2,3,4. Illud verbum eſt verbum *accidentale*, hoc *eſſentiale*.

II. Verbum Dei dicitur prima veritas, non *eſſentialis*: nam ita Deus eſt prima veritas; ſed *normalis*, hoc eſt, eſt regula prima omnium credendorum & faciendorum.

III. Verbum Dei dicitur immediatè à Deo profectum, *ratione ortus*, quia ſcilicet Deum immediatè auto-

rem habet: non autem *ratione promulgationis*: nam Deus verbum ſuum per Prophetas & Apoſtolos promulgavit.

IV. Verbum Dei ex accidente jam majorem jam minorem authoritatem habet.

Nam ſi ex VerboDei commonefiat aliquis ab aliquo privato, qui hoc facit ex officio, peccat quidem ille quod non obtemperat: At magis peccat, ſi commonefiat ab aliquo, cui authoritas ad hoc data eſt: verbi gratia, ſi non obtemperet Miniſtro Verbi divini. Maximè autem peccat, ſi ipſe Deus ſit, qui immediatè moneat. Atque hinc intelligitur illud Hebr. 2.2,3,4. *Etenim ſi per Angelos dictus ſermo fuit firmus, omníſque tranſgreſſio & contumacia juſtam mercedis retributionem retulit; quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem?* quæ quùm *primum enarrari cœpit per ipſum Dominum, ab iis qui ipſum audierant, fuit nobis confirmata: Teſtimonium illis præbente Deo & ſignis & prodigiis, variíſque virtutibus & S. S. diſtributionibus pro ſua voluntate.*

V. Eccleſia dicitur columna veritatis Politica, non Architectonica.

Hoc eſt, non dicitur columna quod innitatur ei tanquam fundamento veritas Verbi divi-

vini ſed quòd Verbum Dei ipſi traditum ſit, & in ipſa reperiatur, quemadmodum ſcilicet Principum edicta columnis affigi ſolent.

VI. Nemo tenetur credere Eccleſiæ, niſi cum Verbo Dei conſentiat.

VII. Scripturæ authoritas innoteſcit nobis *teſtimonio externo*; Spiritus Sancti & *interno*, ſcilicet notis criteriis verbo inſitis.

Eſt autem teſtimonium Spiritus. S. non ecſtaſis vel enthuſiaſmus; ſed lux quædam ita mentem perfundens, ut eam leniter afficiat, oſtendátque rationes ipſi rei inſitas, ſed antea occultas.

Obj. 1. Si ex teſtimonio Spiritus Sancti conſtat, Verbum Dei eſſe Verbum Dei, cur ergo non omnes Euangelici in omnibus dogmatibus conſentiunt? *Reſp.* Quia non omnibus eadem Spiritus menſura admenſa eſt.

Obj. 2. Circulum committi. Querenti enim quomodo Verbum Dei agnoſci poſſit? *Reſp.* Ex teſtimonio Spirit. S. Dum verò interrogamur, unde Teſtimonium Spiritus Sancti agnoſcamus verum eſſe; ad Scripturam recurrimus. *Reſp.* Non utimur teſtimonio Spir. Sancti, *ut argumento*, ſed id tantùm proferimus, ut profiteamur cæcitatem noſtrem, & cui debeamus acceptum ferre, quòd ve-

ritatem verbi agnoſcamus. Sicut ſi quis quærat ex ſapiente viro conſilii aut aſſenſus ſui rationem, non proferet is tanquam argumentum, animi ſui motum, ſed inſita veritatis rei quam aſſerit, argumenta, quorum inventionem profitebitur profectam eſſe à mentis luce, cujus, niſi planè impius ſit, Deum autorem agnoſcet.

VIII. Probat ergo ſeipſam Scriptura, non argumento *interno*, ſed *externo*, hoc eſt, non *authoritativè*, ſed *ratiocinativè*; quia ſcilicet ipſi verbo inſunt talia, ex quibus certò authoritatis divinæ eſſe agnoſcitur. Sic gemma nobilis probat ſe ſuis effectis.

Argumenta inſita iſta ſunt: Cœleſtis doctrinæ majeſtas, Orationis ſimplicitas, divinitas, puritas; partium omnium inter ſe conſenſus, antiquitas, admiratio in quam nos rapit, tot & tam inſignia miracula ad confirmationem Verbi facta; Vindicatio librorum ſacrorum divina à rabie hoſtium & Sathanæ; mirabile prophetiarum complementum, conſenſus Eccleſiæ, ſanguis Martyrum; ipſorum denique Scriptorum vilis conditio.

Obj. *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ moveret authoritas.* Auguſt. *Reſp.* Authoritas vel *imperii* eſt, vel *dignitatis*. Autho-

thoritas Eccleſiæ quâ motus fuit Auguſtinus ad credendum Euangelio, non fuit imperium & jus quoddam; ſed Eccleſiæ dignitas, magnis & illuſtribus divinæ providentiæ argumentis, in Eccleſia conſervanda comprobata, ita ut in eo digitum Dei agnoſceret.

IX. Authoritas Sacræ Scripturæ cognoſcitur ex iis, quas diximus notis; verùm non ſemper ex una aliqua, ſed ex pluribus, aliquando etiam ex omnibus.

Adverſarii Pontific. ſcil. dum agimus de notis ex quibus cognoſcitur Scriptura eſſe verbum Dei, dilacerant iſtas notas, & ſigillatim proponunt, & ita ad illas reſpondere volunt; ſed hoc valde ineptè: Nam dum nos dicimus, notas iſtas eſſe verbi Divini, videl: Miracula, Prædictiones futurorum, &c. illa ita accipi debent, ut non ſeorſim accipiantur, ſed conjunctim & ita ex illis judicium fiat de authoritate verbi Dei.

X. Quicquid in Verbo Dei eſt, habet authoritatem divinam, vel quia Deum autorem habet, vel quia divinitus ad uſum adhibetur.

Ita verbi gratia, doctrina Euangelii eſt à Deo, quia Deus autor ejus eſt: Ita relatio,

quæ ſit de ſceleribus hominum, de dictis & factis, habet autoritatem divinam, quia à Deo refertur. Ita Ethnicorum poëtarum dicta, quia Deus ipſis utitur tanquam veris, ob uſum iſtum, habent autoritatem divinam.

XI. Aliud eſt noſſe hunc vel illum librum eſſe canonicum, aliud ab hoc vel illo autore eſſe conſcriptum.

Pontificii ſolent ex nobis quærere; quomodo novimus Euangelium Matthæi, eſſe Evangelium Matthæi? aut Lucæ, Lucæ? *Reſp.* Si quæratur de eo, quomodo ſciamus hos libros eſſe canonicos, tum dicimus ex argumentis inſitis, quæ nim. iſtis inſunt; Atque ita diſtinguere, nos fidem quâ credimus librum eſſe canonicum, & quâ credimus ab hoc vel illo autore ſcriptum. Nam hoc tantùm eſt fidei hiſtoricæ; proinde nemo periclitatur de ſalute, ſi non credet à Matthæo ſcriptum; modò credat eſſe canonicum, à Spiritu Sancto profectum.

XII. Verbum Dei canonicum ſive authenticum eſt, quoad *verba*, & quoad *res*; quoad *verba*, in lingua Hebræa & Græca; quoad *res*, in tranſlationibus.

Eſt ergo authentica vel *verborum* vel *ſenſus*. *Illæ* linguis, *hæc* tranſlationibus reſpondet.

det. Aliqui diſputant, an Verbum Dei, quod in Tranſlationibus eſt, ſit verè Divinum. *Reſp.* Certè eſt quoad *res*, niſi fortè alibi malè verſum; attamen quoad *verba* non eſt: Deus enim Hebraicè & Græcè dictavit. Hinc Sacra S. omnes homines in Judæos & Græcos diſpeſcit. Cauſa hujus rei nulla dari poteſt, quàm quod omnibus extra Judæos Verbum Dei ſit Græcè ſcriptum.

XIII. Scriptura differt à Verbo Dei in ſe conſiderato, ut *accidens* à ſuo ſubjecto. Fuit enim Verbum Dei antequam Scriptura eſſet, & erat cum Scripturæ uſus multus foret; Matth. 5. 18.

XIV. Scriptura neceſſaria eſt non *abſolutè*, ſed ex *hypotheſi* mandati Divini.

XV. Scriptura perfecta eſt tum quoad *materiam*, tum quoad *formam*.

Forma dicitur methodus, materia autem res ipſa. Sciendum eſt, duplicem eſſe methodum Sacræ Scripturæ, nim. *totius* Scripturæ & *partium* quarundam. Totius ſcripturæ eſt methodus *hiſtorica*; Partium autem, methodus *diſciplinaris*, ſive arbitraria. Solet enim Spiritus Sanctus in res tractare, ut ea afferat quæ ſcit conducere rei iſti explican-

dæ, & probandæ, aut etiam improbandæ, item eo ordine quo ipſi placet, ut videre eſt in Epiſtolis Paulinis.

XVI. Perfecta eſt Scriptura, non quòd res omnes perfectè, de quibus agit, quoad literam tradat; ſed quòd eas in tantum exprimat, in quantum ad ſalutem nobis ſcitu neceſſariæ ſunt.

Dici poteſt perfecta, non *adæquatè ad objectum*, ſed *adæquatè ad finem*; nam ſunt quædam de quibus Scriptura agit, quæ non poſſunt exprimi ad captum creaturæ adæquatè, qualis eſt Deus, incarnatio Filii Dei, & quæ tali, aquæ nobis refert Spiritus Sanctus, non ut ſunt in ſe, ſed ut à nobis capi poſſunt.

XVII. Perfectio Scripturæ alia eſt *eſſentialis*, alia *accidentalis*.

Quærunt ex nobis Pontific. ſi aliqui libri Scripturæ continent omnia dogmata fidei, & præcepta morum, quænam cauſa ſit quod tot libri ſint propoſiti? *Reſp.* Quia non tantum neceſſe erat contineri iſta, quæ eſt *perfectio eſſentialis*, ſed etiam oportebat iſta contineri, ut diverſimodè à diverſis ita tractarentur, ut eo modo intelligi melius poſſent; tum etiam, ut conſonantia tot diverſorum hominum, quibus Deus uſus eſt tanquam Amanuenſibus in conſignando verbo ſuo,

ſuo, divinitatem verbi patefaceret; & hæc eſt illa *accidentalis perfectio*.

XVIII. Dum Scripturam dicimus perfectam, non intelligimus, ac ſi ad literam omnia illa quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, continerentur, ſed quod quædam per certam conſequentiam, ex illis quæ clarè dicta ſunt, deduci debeant.

Notum hoc ex Chriſto & Apoſtolis, qui ex illis quæ clarè dicta erant, multa per conſequentiam deducebant: & quæ per conſequentiam ex Moſe, Davide, deduxerant, ea Moſen dixiſſe ſtatuebant. Matth. 22. 29, *Vices*: conſequentias ab idiotis non poſſe intelligi. Sed duplices ſunt conſequentiæ; Remotæ, proximæ: de *illis* hoc verum eſt, quoad minus exercitatos, non de *his*. Oculus quæ remota ſunt vel confuſè tantum, vel omnino planè non videt; proxima videt accuratè. Neceſſaria ad ſalutem proximâ conſequentiâ è Scriptura deducuntur, adeoque intelliguntur facillimè.

XIX. Perfectio Canonis non æſtimatur ex multitudine librorum, ſed ex ſufficientia dogmatum fidei, & præceptorum morum.

Urgent aliqui hunc canonem perfectum non esse, quia nonnulli libri perierunt; His autem hac distinctione occurrere solemus.

XX. Traditiones aliquando accipiuntur pro ritibus Ecclesiasticis adiaphoris, aliquando verò pro illis, quæ in Scriptura tradita sunt.

Quod ad posterius membrum vide 1. Cor. 11. 23. Et quoad primum, vide regulam traditam nobis à Spiritu Sancto, 1 Cor. 14. 40. *Omnia decenter & ordine fiant.* Unde etiamsi in particulari non præcipiantur in Scriptura, præcipiuntur tamen in genere.

XXI. Traditio alia est genuina, alia commentitia.

Genuinæ sunt istæ, de quibus egimus. Commentitiæ dicuntur istæ, quæ à Pontificiis obtrudi solent Ecclesiæ, quales sunt Missa, Purgatorium, & id genus aliæ nugæ. Notandum hîc est, ipsos in istis traditionibus sibi ipsis contradicere, nam asserunt illas non esse scriptas, & tamen ex Scriptura probare volunt.

XXII. Aliud est commemorare beneficium Dei, & aliud tempus quod Ecclesia instituit, ut illud commemoretur.

Solent Pontif. ut imperfectionem Scriptu-

ræ

ræ arguant, dicere: Ubi præcipitur in Scriptura, hoc die celebrabis nativitatem Chriſti, illo Paſcha, illo Pentecoſten? *Atqui* dicunt, iſta omnia ſunt articuli Fidei: Ergo aliqui articuli Fidei in Scriptura non exiſtent. *Reſp.* Ex diſtinctione data, Chriſtum natum, reſurrexiſſe, in cœlum aſcendiſſe, eſſe quidem articulos fidei; ſed diem quo iſta celebrari debent, non eſſe articulum talem, ſed tantum ordinationem Eccleſiaſticam, ita ut ſi placuiſſet Eccleſiæ, potuiſſet alios dies ad hanc commemorationem ordinaſſe.

XXIII. Perſpicuitas Scripturæ alia eſt *ſubjectiva*, alia *objectiva*.

Egimus de iſta diſtinctione in locis communibus. *Subjectivam* perſpicuitatem ſummam eſſe Scripturæ, hoc eſt quatenus in ſe & per ſe perſpicua eſt: *Objectiva* non item: idque non vitio Scripturæ, ſed vitio hominum, & naturæ noſtræ depravatæ. Quemadmodum homines, quorum oculi caligant, non poſſunt videre lucem Solis, hoc non fit vitio Solis, qui per ſe clariſſimus eſt, ſed vitio oculorum caligantium.

XXIV. Diſtinguunt Theologi inter *Scripturam* & rem *Scripturæ*.

Omne enim quod dicit Spiritus S. de rebus abſtruſis in Scriptura, hoc eſt perſpicuum, ſed

ſed non omnia dicit de rebus obſcuris, verùm ea tantum, quorum nos capaces ſumus, & quæ nos ſcire expedit. Verbi gratia: Trinitas res eſt Scripturæ, de qua tamen Spiritus Sanctus in Scriptura perſpicuè loquitur, & ad captum noſtrum: non tamen omnia loquitur de Trinitate, quia omnium capaces non ſumus. Res ergò Scripturæ obſcura eſſe poteſt, ſed Scriptura de illa re perſpicua.

XXV. Aliud eſt loqui de perſpicuitate dogmatum fidei & præceptorum morum, aliud de Prophetiis quæ ſunt de eventibus incertis quoad nos.

Priora ſunt perſpicua in Scriptura, at poſterius non item, antequam fuerit impletum; Secundum regulam illam Theologorum: Prophetiæ non intelliguntur ante complementum.

XXVI. Scriptura aliter atque aliter perſpicua eſt, magis ſcilicet *adultis* quàm *infantibus*.

Diſtinguit Scriptura adultos & infantes; 1 Cor. 3. 1. Heb. 5. 13, 14. Diſtinctio iſta ex eo eſt, quod alii aliis magis proficiant in cognitione veritatis divinæ. Cæterum hic duo ſunt notanda circa diſtinctionem; quod

ut

ut ut alii aliis magis proficiant in cognitione veritatis, & alii aliis magis distinctè percipiant; omnes tamen in tantum percipiunt, in quantum illis sufficit ad salutem. Alterum quod hic notandum, sunt distinctiones quædam quæ emergunt ex distinctione hac: Ut, quod articuli fidei alii sint *Catholici*, alii *Theologici*. *Catholici* sunt illi, qui omnibus ad salutem scitu sunt necessarii, & sine quibus nemo salvatur; quales sunt isti qui in Catechesi proponuntur, nimirum Decalogus, Symbolum Apostolorum, &c. *Theologici* sunt illi, qui non omnibus scitu sunt necessarii, sed illis saltem, qui aliis docendis, sive in Ecclesiis, sive in Scholis præsunt; quales sunt illi articuli, qui per consequentiam ex aliis deducuntur. Secunda distinctio emergit hinc ex præcedenti, in *fidem* nim. *implicitam* & *explicitam*. Accipimus autem hîc hæc vocabula alio sensu quàm Pontificii. Nam illi fidem implicitam vocant Fidem carbonariam, eamque definiunt per ignorantiam. At nobis fides explicita est ea fides quæ cadit in adultos, qui plura capiunt & magis distinctè, quàm infantes. Fides autem implicita est, quæ etiam in infantes cadit, quæ non tot capit quot adultorum, nec tam distinctè.

XXVII. Scriptura perspicua est no-

nobis non *naturâ noſtrâ*, ſed *gratiâ Dei illuminantis.*

Non *naturâ* nobis nota eſt, ſed *ex gratiâ* quæ nos illuminat. Hîc quædam diſtinctiones quæ ex hac emergunt, nobis explicandæ ſunt. Prima eſt, inter *cognitionem Legis & Euangelii*. Et dicitur à Theologis legem cognoſci etiam ab hominibus irregenitis, ratione *materialis*, h, e. ratione præceptorum; non autem ratione *formalis*, h. e. ratione *finis*; nam irregeniti non norunt finem legis, ſcil. ut ex ea peccata & miſeriam agnoſcant, & ex ea liberationem deſiderent. Secundò ratione *materialis* etiam non norunt perfectè; non enim omnia precepta naturâ nota ſunt, ut liquet vel ex Phariſæis, qui nec omnia intelligebant, nec perfectè. Secunda diſtinctio eſt cognitionis in *Apprehenſivam* & *Dijudicativam*: In eam quæ eſt cum *perſuaſione*, & eam, quæ eſt cum *convictione* tantum: In *Diſciplinarem* & *experimentalem*: In eam, que eſt *ſub propria ſpecie*, & quæ *ſub aliena*. Cæterum, diſtinctiones iſtæ coincidunt. Eſt enim quædam ſcientia, quæ perſuadet homini, qualis ſcientia eſt in fidelibus; & ſcientia, quæ convincit hominem de rei veritate, qualis cadebat in Phariſeos, & cadit in quoſdam irregenitos. *Diſciplinaris* ſcientia eſt, quando aliquid per præcepta docetur. *Experimentalis*,

quam

quam per experientiam acquirimus. Experimentalis ſcientia rerum divinarum ac cœleſtium, cadit in fideles. Diſciplinaris autem aliquando etiam in reprobes: Scientia verò *ſub aliena ſpecie eſt*; Cum novi aliquid, ſed tanti non æſtimo, quanti æſtimandum eſt, aut aliud eſſe arbitror, quàm eſt. Ut, verbi gratia, ſi quis *V*erbum Dei tanti non æſtimet quanti in ſe eſt: Non abſimilis illi, qui aurum orchalcum eſſe judicaret. Talis ſcientia rerum divinarum cadit in reprobos. At ſcientia ſub propria ſpecie, cadit in ſolos fideles. Hinc Scriptura irregenitos, quia ſub aliena ſpecie res divinas capiunt nobiliſſimas ſub ſpecie viliſſimarum, vocat ſtultos & inſipientes.

XXVIII. Alia eſt cognitio in *Theſi*, alia in *Hypotheſi*.

Quæritur; Quomodo homo ſive fidelis, ſive infidelis, ſciens peccare poſſit, cùm nemo velit malum ſub ratione mali. *Reſp.* Scientia illa dicitur in *Theſi*, non in *hypotheſi*: hoc eſt, ſcit talis in genere malum hoc eſſe, ſcortari, furari; at ſibi illud putat eſſe bonum: unde illud Poëtæ ita explicandum erit; *Video meliora probóque, deteriora ſequor. V*ideo ſcilicet meliora quoad *Theſin*, quoad *Hypotheſin* non video, & ita ſequor mala.

XXIX. Ratione, cognitionis dicun-

cuntur homines *perfecti* & *infantes*.

Eſt non nemo qui putat hæc non poſſe conſiſtere, perfectum eſſe ratione cognitionis Dei, & tamen inchoativè nos regenerari. Sed nulla inter hæc eſt pugna, nam perfectus dicitur ratione *infantium*, & tamen inchoativè dicitur ratione *complementi*; itaque non magis hæc pugnant quàm iſta, quòd Scriptura adultos quoſdam eſſe aſſerit, & interim tamen dicat, nos *ex parte ſcire, & ex parte prophetare*, 1 Cor. 13.

XXX. Interpretatio alia eſt *verbalis*, alia *realis*; vel alia eſt *verborum*, alia *ſenſus*. Interpretatio non debet eſſe propriæ explicationis. 2 Pet. 1. 20.

Quæritur, quomodo iſta conſiſtere poſſunt, quod quilibet dicitur debere ſcrutari Scripturas, & quod interpretatio non debeat eſſe propriæ explicationis.

Reſp. Sciendum eſſe, propriam explicationem non opponi hîc explicationi, quæ à quolibet fit legitimè, per Scripturas; ſed illi quæ à Scriptura alieniſſima eſt, & tamen Scripturæ obtruditur.

XXXI. Interpretatio alia eſt analoga *contextui*, alia *analoga* fidei.

Diſtinctionis iſtius uſus magnus eſt. Adferunt

ferunt ſæpe Theologi varias locorum Scripturæ interpretationes. Patres quoque ſæpè non conveniunt in explicatione loci hujus vel illius, & afferunt illi quidem interpretationes *fidei analogas*, ſed non ſemper *analogas contextui*; nam analogum contextui non poteſt eſſe niſi unum; quia plus uno verum eſſe nequit.

XXXII. Medium interpretationis Scripturæ primum eſt analogia fidei, hoc eſt, conſtans & aperta ac perpetua Scripturæ ſententia, in apertis & minimè obſcuris Scripturæ locis.

Ut ſunt articuli fidei in Symbolo, Oratione dominica, Decalogo, & toto Catechiſmo, cujus ſingulæ partes expreſsâ Scripturâ confirmari poſſunt. Non tamen ſola fidei analogia ſufficiens eſt; quia interpretatio aliqua poteſt eſſe fidei analoga, quæ tamen textu analoga non eſt. Reliqua media interpretationis ſunt: Frequens oratio, linguarum cognitio, fontium inſpectio, argumenti atque ſcopi conſideratio; vocum propriarum & impropriarum diſtinctio; Cauſarum, circumſtantiarum, antecedentium, conſequentium notatio; Logica analyſis; Obſcuriorum cum illuſtrioribus, ſimilium cum ſimilibus, diſſimilium cum diſſimilibus comparatio,

ratio. *Vide* Exeg. Piſc. de ſcrip. Aphor. 16.

XXXIII. Media interpretandi Scripturam aliquando omnia adhibenda ſunt ad locum aliquem explicandum, aliquando quædam.

Benè hoc obſervandum fuerit contra Pontif. Soph. qui ut eluderent media illa interpretandi *Scripturam*, quæ à noſtris adhiberi ſolent, ſigillatim illa examinant; Atqui noſtra mens non eſt ſingula eſſe ſufficientia; ſed aut omnia, aut pleráque adhiberi debere. Imò notandum, non omnem Scripturæ partem egere interpretatione. Cum enim Scriptura per Scripturam ſit explicanda oportet aliquam ita eſſe claram, ut nulla interpretatione indigeat; alioqui proceſſus in infinitum daretur.

XXXIV. Etſi Eccleſia non det autoritatem Verbo *Dei*, & etiamſi omnia ipſi examinanda ſint ad Verbum *Dei*, tamen major eſt ejus autoritas, quam privati cujuſvis.

Solent nobis objectare Pontificii, ſi, inquiunt, Scripturæ explicationes debemus accipere cum hac conditione, ſi conſentiant cum *Verbo* Dei, tum omnibus privatis eandem reverentiam debemus, quam Eccleſiæ; quia

quia ſi privatus cum Scriptura loquatur, etiam illum recipere debemus. *Reſp.* Magis peccare eum qui non audit Eccleſiam, quam qui non audit privatum: Et ratio eſt; quia privatus quod facit, facit ex officio; At verò quod facit Eccleſia, id facit ex autoritate. Graviùs autem peccat iſte qui non audit eum qui cum autoritate loquitur, quam qui ex officio loquitur.

XXXV. Aliud eſt eſſe alicujus quoad *inſcriptionem*, aliud quoad *uſum communem*.

Sic Epiſtola ad Romanos, Romanorum eſt, quoad inſcriptionem; Eccleſiæ verò univerſæ, quoad uſum communem. Dicitur enim Paulus omnibus fidelibus ſcripſiſſe quod ſcripſit Romanis. 2 Peter. 3.15.

XXXVI. Modus operandi Scripturæ non eſt *realis* ſive *phyſicus*, ſed *moralis*.

Obj. Per Scripturam regignimur, 1 Pet. 1. 23. Ergo agit realiter. *Reſp.* Regeneratio eſt opus ſolius Dei, non minus ac creatio. Dum autem regeneratio Verbo Dei tribuitur, perinde tribuitur, ac Apoſtolis miracula, qui nihil ad patrationem miraculorum contribuebant, nam Dei opus fuerunt: & tamen tribuuntur illis, quia ſine interventu eorum

non

non fiebant, ita ergo & regeneratio verbo Dei tribuitur, quia non fit ſine interventu Verbi Dei.

XXXVII. Verbum Dei translatum in alias linguas non habet quidam eandem authoritatem *originariam*, habet tamen authoritatem *derivatam*.

XXXVIII Objectum Theologiæ & Philoſophiæ ſunt diverſa & diſtincta,

Non tamen pugnant Theologia & Philoſophia. Nam ars ſutoria & ſartoria, etſi diverſa habeant objecta, tamen non pugnant inter ſe.

XXXIX. Verum cum vero non pugnat.

Sed tamen poteſt eſſe diſtinctum; itaque veritas Theologiæ non pugnat cum veritate Philoſophiæ, & tamen ſunt diſtinctæ: v. g. Philoſophia docet virginem parere non poſſe *naturaliter*, hoc verum eſt. Theologia docet virginem parere poſſe *ſupernaturaliter*, & hoc verum. Hæ veritates non ſunt eædem, & tamen ſunt veritates non pugnantes.

XL. Ratio ſana non pugnat cum Theologia.

Sana dicimus, nam corrupta pugnat.

Obj. Atque intellectus regenitus non capit divina perfectè. *Resp.* Aliud est *pugnare* cum re, aliud *non capere.*

XLI. Ratio requiritur ad Theologiam non ut *argumentum*, sed ut *instrumentum*.

Hoc est, non ut probemus ratione aliquid; sed ut capiamus & intelligamus divina, oportet ut rationem habeamus; neque enim vel infantes vel mente capti, Theologiam discere possunt.

XLII. A testimonio divino in rebus ad salutem necessariis, procedit argumentum & affirmatum & negatum.

Dicimus in rebus ad salutem scitu necessariis. Fluit autem ex eo, quia Scriptura continet omnia dogmata fidei, & præcepta morum perfectissimè. Cæterum in illis quæ ad salutem scitu necessaria non sunt, non obtinet hoc; tractat enim Scriptura de reliquis rebus extra Theologiam, sed non perfectè, sed obiter & incidenter.

XLIII. Quicquid per bonam consequentiam ex Scriptura deducitur, illud ipsum est Scriptura.

Sæpè homines dicunt talia ex quibus quædam

dam deducuntur, quæ admittere nolunt, unde eſt deductio ad impoſſibile; Et ratio eſt, quia homines ſæpè referunt talia pro veris, ex quibus poſtmodum eliciuntur alia quæ manifeſtè oſtendunt non eſſe vera, atque adeò adigunt homines ad retractationem. At Deus ſapientiſſimus, nihil dixit, quin omnia intellexerit, quæ ex his elici debuerant, unde etiam illud quod elicitur ex Scriptura, dicitur Scriptura: & quod elicitur ex Moſe & David, dicuntur Moſes & David dixiſſe. *Vide* Matth. 22. Luc. 20. Act. 2.

XLIV. In diſputationibus accuratis impropria permutanda ſunt propriis.

Nobiliſſima eſt hæc regula, nam in diſputationibus ſæpè fit abuſus Scripturæ, ſi illam impropriis verbis aliquis efferat. Qui autem accuratè diſputat, ille debet opponentem adigere ad hoc, ut impropria verba permutet propriis; ſi non poſſit, dicendum nos in gratiam ipſius id præſtare velle. Si verò opponens noluerit, repellendus eſt à diſputationibus. Ratio regulæ hæc eſt, quia impropria obſcura ſunt, obſcura non convincunt; Ergo nec impropria. Obſcura non convincere certum eſt; nam quomodo quod non intelligitur, convincere poteſt aliquem ut hoc vel illud credat?

XLV. Ar-

XLV. Argumenta ex parabolis deducta, nihil probant niſi ratione ſcopi.

Utiliſſima eſt hæc regula. Itáque ſemper videndum eſt quis ſit ſcopus parabolæ, qui ſcopus etiam vocari ſolebat *Formale* parabolæ; unde etiam videre licet quam ineptè argumentantur Sociniani ex Matth. 18. Deum nullâ ſatisfactione acceptâ condonare nobis peccata, quia dominus iſte, qui ſervo dimiſit debita, nulla ſatisfactione acceptâ hoc præſtat. Nam argumentnm hoc non eſt à ſcopo; ſcopus enim eſt, Deum illis remittere peccata qui aliis remittunt; non autem ſcopus eſt, quemadmodum iſte remiſit, Deum remittere. Ita etiam malè argumentantur Arminiani, qui docent, Deum Beneficium juſtificationis renovare, quia hic Deus renovavit beneficium, hoc enim non eſt ex ſcopo parabolæ. Si autem liceret ex materiali argumentari, tum æquè poſſemus dicere, aliquem poſſe condonare alteri, Deo invito; quia hic dicitur conjeciſſe in cárcerem conſervũ ſuum. Sed de utraque hac regula obſervandum eſt Axioma Scholaſt. *Theologia Symbolica non eſt argumentativa.*

Cap. II.

De Lege.

I. Lex divina alia eſt *generalis*, alia *ſpecialis*.

Generalis eſt, quæ omnes & ſingulos obligat; Specialis eſt, quæ certum ſtatum hominum. Ita Generalis eſt, non occides, non furaberis. Specialis, honora parentes, nolito provocare liberos ad iram; omnibus benefaciendum, ſed maximè domeſticis fidei.

II. Præcepta Legis alia ſunt *affirmativa*, alia *negativa*.

Hæc diſtinctio ſummè neceſſaria eſt, nam negativa obligant ſemper & quoſvis, ut, non occides, non mœchaberis. Affirmativa non item. Verbi gratia, Præceptum de Eleëmoſynis dandis; neque enim quivis poteſt, neque ſemper, neque omnes.

III. Præcepta alia ſunt *imperii*, alia *indulgentiæ*.

Et hæc utiliſſima. Nam videtur Deus multa mandare in Scriptura, quæ tamen ſi non faciamus, non peccamus; & videtur quædam mandare, quæ ſi non faciamus, peccamus. Illa præcepta, quæ ſi non faciamus, peccamus, dicuntur *Imperii*. Illa autem quæ facere poſ-

poſſemus, & poſſumus omittere abſque peccato, vocantur *Indulgentiæ* præcepta: Qualia in V. Teſt. erant, de non danda in uſuram pecunia proximo, de vocando proximo in jus, de dimittenda uxorem in adulterio comperta. Hæc talia & fieri poterant & non poterant, utrumq; abſque peccato, quia præcepta erant, non *imperii* præcepta, ſed *indulgentiæ*.

IV. Quædam præcepta ſunt quaſi naturalia, adeo, quorum contrarium nunquam jubet, quædam ſunt quaſi poſitiva, quorum aliquando contrarium juſſit.

Verbi gratia; nunquam contrarium juſſit præcepto 1. 2. 3. 7. 9. At contrarium *juſſit* 4. 5. 6. 8. 10. hoc eſt; nunquam præcepit Deos alienos habere; nomen Dei in vanum uſurpare: At juſſit parentibus debitum officium ſubtrahere: ut Abrahamum relinquere patriam, & ire in alias terras; occidere filium; voluit ut Iſraëlitæ acciperent mutuo, & non redderent.

V. Mandata alia ſunt *obedientiæ*, alia *explorationis*, alia *convictionis*.

Utiliſſima diſtinctio in multis controverſiis Theologicis. Quæritur de vocatione externa; An ne quos Deus externè vocat, eos velit ſalvari? Scriptura negat, Matth. 22. *Multi*

vocati, &c. Et vocatione jubentur homines obedire Deo, & tamen Deus non vult ut obediant omnes, alioqui hoc facturi fuiſſent. Ergo, Deus hoc proponit, eo fine, ut *convincat*, vel *explorentur*.

Secundus uſus diſtinctionis eſt in multis Scripturæ locis explicandis. Exempli gratia; Quæritur, An Deus id voluerit, dum præciperet Pharaoni, ut dimitteret populum Iſraëliticum? *Reſp.* Præcepit Deus præcepto *convictionis*, non *obedientiæ*: Item; Anne dum juberet Abrahamum immolare filium ſuum, illud etiam voluerit? *Reſp.* Voluit præcepto *explorationis*. *Quærit.* Quare Deus explorat, cum omnia noverit ab æterno? *Reſp.* Deus non explorat propter ſe, ſed propter nos, ut ſciamus quid nos ſumus, ut Job. 33. hoc eſt, vult nos nobiſmet ipſis reddere notos. Ita Petrum, cùm ſe ipſum non noſſet, permiſit Deus labi, ut infirmitatis ſuæ convinceretur, & ſibi ipſi innoteſceret, quam vera fuerit illa de conſtantia ſua perſuaſio.

VI. Ad quæ lege obligamur, duplicis generis ſunt; quædam quæ præcipit & docet, quædam quæ tantummodo præcipit.

Utiliſſima diſtinctio, & quidem contra Socinianos & Arminianos; putant illi quædam opera eſſe *Euangelii*, cùm nos urgemus

ex

ex *operibus Legis* non juſtificari aliquem. Regerunt, ita quidem eſſe, ſed tamen ex *operibus Euangelii* juſtificari poſſe, & alia eſſe *opera Legis*, alia *Euangelii*. Opera Euangelii eſſe, pœnitentiam agere, credere, &c. Nam illa non eſſe opera Legis, patet, quia Lex nihil aliud præcipit quàm hoc, *Fac hæc & vives*: Et, *Maledictus qui non manſerit*, &c. De pœnitentia & fide, in Lege altum ſilentium. *Reſp.* Duplicia ſunt quæ Lex præcipit. Quædam quæ *docet & præcipit*; qualia ſunt, Non occides, Non mœchaberis; quędam quæ non docet; ſed præcipit; ut, credere Euangelio; nam quod credendum ſit Euangelio, ad hoc Lex obligat, quæ vult ut obediamus Deo quicquid nobis præceperit.

Finis Legis moralis alius eſt in ſtatu lapſus & reparationis, alius in ſtatu integritatis. In integritatis ſtatu hunc finem habuit, ut homo per eam juſtificaretur: in ſtatu lapſus finis eſt agnitio peccati. *Dices*; Nullum jam eſſe finem Legis moralis in ſtatu reparationis; quia juſto non eſt Lex poſita. *Reſp.* Non eſt illi Lex poſita in *pœnam & condemnationem*, ſed in *directionem*.

VII. **Lex ceremonialis quoad ritus Eccleſiaſticos, facit ſpeciem diverſam à lege morali & forenſi. Quatenus verò continet doctrinam de ſa-**

crificiis, Chriſti adventum adumbrantibus, eatenus eſt doctrina Euangelii.

Graviſſima eſt controverſia inter Theologos, utrúmne Lex ceremonialis faciat contradiſtinctam ſpeciem à Lege morali & judiciali: an verò ad doctrinam Euangelii pertineat. Aliqui, ut Pareus, ſimpliciter ad doctrinam Euangelii pertinere volunt, aliqui contra, ut Ameſius; ſed diſtinctio allata rem tolat, ac componit.

VIII. Ceremoniæ, quæ in Vet. Teſt. obſervabantur, erant umbræ rerum futurarum, ſi nimir. umbram pro typo accipias; non verò umbræ erant, ſi ſumas pro re vana & nihilo. Hebr. 10, 1.

Multi offenduntur quod vocemus ſacrificia umbras, & dicunt, umbram accipi pro re vana, ut homo, umbra, pulvis; at illi malè faciunt; nam ipſa Scriptura vocat umbram, Hebr. 10. 1 Sed umbra accipitur pro typo.

IX. Sacrificium triplex eſt, ἱλαστικὸν, εὐχαριστικὸν, λυτρον.

Eſt diſtinctio Theologorum, quæ tamen non eſt ſatis accurata; nam potiùs ita debebat diſtingui. Sacrificium vel eſt ἱλαστικὸν, vel

vel εὐχαριστικὸν & ἱλαστικὸν, *typicum* vel *reale*, quod λυτρον vocatur.

X. Sacrificia typica expiabant peccata *typicè*, non *realiter*.

XI. Sacrificia non placebant Deo ex opere operato, ſed quatenus typi erant Chriſti.

Eſt diſtinctio notoria, quæ defendi debet contra Judæos, qui putant placuiſſe illa Deo ex opere operato; quod ſi verum eſt, etiam Meſſia exhibito placerent; at hoc falſum. Eſai. 66. 3.

XII. Abſque ſanguinis effuſione non fit remiſſio. Spectando ſacrificia collectivè ſive ſimul ſumpta, non autem ſeparatim.

Multi ineptiunt ex Epiſt. ad Hebr. 9. & dicunt, omne ſacrificium debere eſſe cruentum: Sed vide contrarium Levit. 5 11, 12, 13. unde liquet dari ſacrificium aliquod incruentum. Adeoque non ſatis accuratè eos ratiocinari contra Miſſam, Contradictionem eſſe, Miſſam eſſe ſacrificium, & eſſe incruentum. Hinc etiam diſtinctio ſacrificiorum apud Hebr. in ea quæ vocabantur זבח *Zevah*, victima mactatio, à זבח mactavit:

& ea quæ dicebantur מנחה *Mincha* munus, donum, oblatio, ſub quibus quoque ſacrificia incruenta comprehendebantur. Dicendum ergo eſt: Nullum ſacrificium, quod eſt victima, eſt vel poteſt eſſe incruentum. Atqui Miſſa Pontificia eſt ſacrificium tale, quod victimam eſſe dicunt pro vivis & mortuis: Ergo non poteſt eſſe incruentum. Dicere autem ſimpliciter, ſacrificium eſſe, & incruentum eſſe, contradictionem eſſe in adjecto, ineptum eſt, ut liquet ex dictis. Fuerunt quippe ſacrificia quædam dapalia ſacrificia. de quibus Levit. 5. 11, 12, 13. quæ ad *Mincha* referuntur; unde ſunt, quæ nequaquam cruenta fuerunt. Non itaque eſt abſurdum, ſacrificium eſſe incruentum, etiamſi alia ex cauſa neceſſariò ſequatur, Chriſti ſacrificium eſſe cruentum; quia omnia ſacrificia collectivè ſumpta, Chriſtum unicum & ſolum referunt.

XIII. Sacrificia ſingula ſunt typi Chriſti inadæquati, non adæquati.

Ita mactatio pecudis erat typus inadæquatus Chriſti, non enim omnia, quæ in Chriſto futura erant, adumbrabat; ita combuſtio erat typus inadæquatus Chriſti, quia mortem tantum gehennalem ſignificabat, quia in Chriſto multa alia eveniebant.

XIV. Alii ſunt typi abſolutè dicti, alii typi ſacrificia.

Non

Non omnis typus eſt ſacrificium, licet omne ſacrificium ſit typus: Verbi gratia, æneus ſerpens, Joh. 3. 14. fuit typus Chriſti, ſic Jonas, Matth. 12. non tamen ſacrificium.

XV. Alia ſunt ſacrificia ordinaria, alia extraordinaria.

Hæc diſtinctio partim pendet à circumſtantiis loci, partim à cauſis, quod ſcilicet aliqua non peracta ſint in templo; aliqua quod peracta ſint non à Sacerdotibus, ſed à Prophetis, aut aliis, ut à *Gideon*, Judic. 6. à *Manoach*, Judic. 13.

XVI. Sacrificandi vox dupliciter accipitur; 1. pro ſimpliciter mactare; 2. pro mactare in ſacrificium, Gen. 31.

Propterea hæc diſtinctio annotatur, ut oſtendatur agnum iſtum Paſchalem, non fuiſſe ſacrificium, etſi dicitur, quod ſit immolatus; nam immolatio accipitur hic in prima ſignificatione.

XVII. Sacerdos dicitur ſummus, non quod imperium habeat in alios, ſed quod ſumma obiret munia.

Hæc diſtinctio propter Pontif. adhibetur, qui putant in Veter. Teſt. fuiſſe unum caput viſibile, viſibilis Eccleſiæ, cui omnia ſubjacerent; at contrarium exſtat Hebr. 9. & liquet

cur dictus fuerit ſummus Sacerdos, nempe non quod fuerit caput Eccleſiæ imperans, ſed tantum quod ſumma obiret munia.

XVIII. Sacerdos alius eſt *Aaronicus*, alius *Melchiſedecianus*.

Chriſtus Melchiſedecianus, reliqui erunt Aaronici. Dicant Pontificii cujus ſint ordinis: non prioris, quia Judæi eſſent: non poſterioris, quia iſtius poſt Melchiſedechum non niſi unicus Chriſtus fuit.

XIX. Lex forenſis, quoad ea quæ communia ſunt omnibus, abolita; non eſt quoad ea quæ genti Judaicæ peculiaria, omnino.

Vide de hoc Locos communes noſtros.

CAP. III.

De Euangelio.

I. EUangelium dupliciter accipitur in Scriptura, vel *latè* pro doctrina Euangelii prout opponitur legi; vel *ſtrictè*, pro Euangelii doctrina de Chriſto jam exhibito, & hoc modo ad Rom. 1. 16.

II. Euangelium eſt miniſterium ſpiritus, Lex miniſterium mortis.

Di-

Diſtinctio habetur 2 Cor. 2. quare verò Spiritus miniſterium vocatur? *Reſp.* Propter ea, quia in doctrina Euangelii Spirit. Sanctus omnes peccatores pœnitentes conſolatur: Et Lex propterea dicitur miniſterium mortis, quia omnes pronunciat maledictos. Deut. 27. verſ. 26.

III. Evangelium docet pœnitentiam, non Lex.

Lex nihil habet de pœnitentiâ, ſed hæc eſt doctrina Evangelii, quod peccatorem docet, ut recipiſcat, ſi vivere velit. Lex tamen ad pœnitentiam obligat, etſi eam non docet.

IV. Evangelium non docet de peccato, ſed Lex.

Eſt nobis controverſia cum Lutheranis de hac diſtinctione, illi enim putant quod Evangelium doceat de peccato: At verò hoc Legis eſt, quia ex Lege eſt agnitio peccati, Rom. 3. Interim tamen Euangelium accipit hoc principium à Lege, & illo utitur in miſero peccatore informando. Quandoquidem Lex te convincit peccati, nec ulla ſpes emergendi quàm per Chriſtum. Ergo tibi ad Chriſtum accedendum, ſi ſalvari cupis.

V. Euangelii uſus & finis eſt alius

per ſe; alius, ex intentione autoris ipſius.

Euangelii finis ex ſe nihil aliud eſt quam illuminatio. At ratione ejus qui eſt autor Euangelii, poteſt eſſe ratione quorundam potius, excœcatio: Ideo enim Chriſtus vult ſæpè prædicari Euangelii doctrinam, ut cœci magis fiant, Joh. 12. ſolet alias diſtingui in finem *operis*, & *operantis*.

VI. Nulla ſunt opera Euangelii, ſed omnia ſunt opera Legis.

Arminiani, qui putant nos juſtificari ex operibus, dum proferimus loca Scripturæ quæ hoc negant, dicunt, Scripturam loqui de operibus Legis, non Euangelii; dicunt opera Euangelii eſſe fidem, & uſum Sacramentorum: Sed ſciendum, opera Legis eſſe diſtinguenda. Quædam enim Lex docet & jubet, ut ea quæ ſunt in Decalogo; quædam jubet, non autem docet, ut quæ ſunt in doctrina Euangelii, Fides & Pœnitentia.

VII. Mandatum de credendo Euangelio, univerſale eſt, at promiſſiones ſunt particulares.

Maxima eſt diſceptatio inter nos & Lutheranos: illi enim docent, ad quos mandatum, ad & illos promiſſio pertinet: Sed falſum. Nam mandatum pertinebat ad omnes Iſraëli-

Iſraëlitas, at promiſſio non item, ut Rom. 9. verſ. 8. aliqui dicuntur eſſe filii promiſſionis.

VIII. Euangelii doctrina eſt propter Legis doctrinam.

Et Lex eſt propter Euangelium, & Euangelium propter Legem. Lex propter Euangelium, quia ducit ad Chriſtum; Euangelium propter Legem, quia juſtificatio noſtri eſt propter ſanctitatem Chriſti, quem Lex exigebat à nobis.

IX. Aliter ſe habuit doctrina Euangelii in Veteri Teſtamento, atque ſe habet in Novo.

1. Nam in Vet. Teſt. adjunctas habuit ceremonias multiplices, ſacrificia, à quibus in Novo liberi ſumus. 2. In Vet. Teſt. obſcurius ſonabat; in Novo clarius; quippe ibi de exhibendo, hic de exhibito Chriſto. 3. Doctrina Euangelii, in Vet. Teſt. communiter & ordinariè pertinebat ad ſolos Judæos, Pſal. 147. 19, 20. in Novo ad omnes gentes. Dicitur autem communiter & ordinariè ad ſolos Judæos pertinuiſſe; quia extra Judæos erant etiam Proſeliti, quod extraordinarium fuit.

X. Euangelium etſi pertineat ad omnes gentes, non tamen ad omnes ſingulos.

Por-

Promiſſiones Euangelii univerſales ſunt quoad *promulgationem*, ſive *prædicationem*, Matth. 28. non verò quoad *applicationem*, quæ ſolis electis obtingit.

XI. Fœdus aliud eſt *commune*, aliud *ſpeciale*.

Fœdus commune eſt, quod vocari ſolet à Theologis, *mediatum*; quia mediante homine, contractum erat cum omnibus. Gen. 9. 11. de Iride.

XII. Speciale eſt vel *Legale*, vel *Euangelicum*.

XIII. *Legale*, pro duplici ſtatu hominum, duplex eſt, vel in ſtatu *integritatis*, vel *lapſus*.

In ſtatu integritatis erat fœdus ſancitum inter Deum & homines, ut homo Legi pareret: Deus homini parenti promiſerat vitam æternam, & hoc ſtabiliverat ſigno arboris vitæ. Poſt lapſum fœdus legale erat, in quo Deus poſtulat obedientiam, & promittit vitam æternam, ſed hoc fœdus ſigno nullo ſtabilitum.

XIV. Euangelicum fœdus eſt vel *vetus*, vel *novum*.

Vetus, quod Deus pepigit cum Abrahamo & ex ipſo ortis. *Novum*, cum omnibus gentibus.

XV. Euan-

XV. Euangelicum fœdus non pertinet ad omnes, ſed ad quoſdam ex omnibus gentibus.

Probatur ex Epiſt. ad Rom. 9. ubi diſtinguuntur filii promiſſionis ſeu fœderis à reliquis, quod utique non fieret, ſi omnes & ſinguli pertinerent ad fœdus.

XVI. Soli fœderati ſunt legitimi poſſeſſores mundi, reliqui verò uſurpatores.

Probatur Rom. 4, 13. & hinc jam intelligitur illud, 1 Cor. 3. verſ. 21. quod ſcilicet omnia ſunt fidelium, quia jus habent in rem omnem.

XVII. A proprietate verborum non eſt diſcedendum abſque neceſſitate.

Hæc regula eſt propter iſtos, qui omnia impropriè accipi volunt, quales ſunt Sociniani; ſed dum hæc agunt, ratio ab ipſis petenda eſt, quare diſcedant.

XVIII. Vox magis uſitata præferenda eſt minus uſitatæ, niſi certa ratio ſubſit.

Neceſſitas hujus regulæ eadem eſt quæ prioris.

XIX. Scriptura flagitium jubens aut

aut prohibens virtutem, figuratè eſt intelligenda.

Ita dum jubet ſibi eruere oculum, pedem abſecare, &c.

CAP. IV.

De Deo.

COgnitio Dei eſt vel *naturalis*, vel *revelata*.

Cognitio Dei naturalis eſt, quæ ſe in adultis ſanâ mente præditis, ſponte exerit; ita ut nemine docente, perſuaſi ſint, eſſe numen aliquod ſapientiſſimum, potentiſſimum, quod mundum & quæ in eo ſunt, condidit, gubernat, & quod id numen religiosè colendum ſit. Primum membrum diſtinctionis habetur Rom. 1. 20. Secundum, in Euangelio Joh. 1. verſ. 18. Cæterum ſciendum eſt, naturalem cognitionem dici, non quòd, ut Vorſtius nugatur, ſit à natura, quemadmodum, verbi gratia, Viſus, Auditus; ſed quòd nullo docente ubi ad rationis uſum devenitur, ex principiis innatis proficiſcatur hæc ipſa cognitio.

II. Cognitio naturalis non ſalvat, ſed inexcuſabiles reddit homines.

Vide Rom. 1. verſ. 20.

III. Co-

III. Cognitio Dei non est comprehensiva, sed apprehensiva.

Comprehendi dicitur, quod perfectè capitur. Deus perfectè capi non potest, quoniam infinitus non potest capi à finito.

IV. Deus apprehenditur cognitione analogica, non rei, sed conceptus.

Analogia duplex est, *rei*, & *conceptus*; quæ analoga sunt ratione rei, illa habent idem genus; Deus autem cum creaturis non habet idem genus; Ergo, hic intelligitur analogia conceptus: Quod scilicet Deum, qui infinitus, capiamus ad similitudinem conceptus eorum quæ finita sunt.

V. Dei vox ambigua est.

Sumitur enim propriè de solo Deo, impropriè, tum metaphoricè pro Angelis & Magistratu, tum Catachresticè pro idolis, diabolo & ventre.

VI. Vox Dei non notat potestatem, ut Sociniani volunt, seu officium, sed naturam.

Alias enim identificarentur hæ propositiones, Deus est Rex, & Rex est Rex.

VII. Vox Dei de vero Deo accepta, dupliciter capitur, ὀυσιωδῶς & ὑποστάτιο

σατικῶς sive *essentialiter*, vel *personaliter*: *Essentialiter*, pro ipsa Dei essentia; *personaliter*, pro personis.

Duo sunt hic notanda ad istam distinctionem: 1. Quomodo non sequatur tres esse Deos, si vox Dei personaliter accipiatur? 2. Anne etiam vox Patris eodem modo distinguenda sit, ut scilicet accipiatur tum essentialiter, tum personaliter? Quod ad primum membrum attinet, sciendum est personam sumi *abstractivè* & *concretivè*: Dum dicimus vocem Dei accipi personaliter, non intelligimus abstractivè personalitatem; sed concretivè, personalitatem cum essentia; ac proindè cum una essentia tantum sit, quæ sumpta cum hoc vel illo modo subsistendi, constituit personam, hinc fit, ut non possint dici tres Dei, quia modi isti subsistendi tres, unicam tantum habent essentiam. Quod ad vocem Patris attinet, eodem modo accipitur vel, ὑποστατικῶς vel ὑποστατικῶς; & ἐστιωσῶς accipi, certum est, in Oratione Dominica; ὑποστατικῶς in Symbolo Apostolico.

VIII. Vox Dei accipitur vel extra complexionem, vel cum complexione.

Distinctio ista diligenter observanda est contra Socinianos: dicitur autem Jehova in Com-

Complexione, quando conjungitur cum re aliqua; ut, cùm Jeruſalem dicitur Jehovah, non abſolutè id fit ſed ac ſi diceretur, Civitas in que Jehova habitat: item vexillum Jehovæ Dei mei, ſed extra complexionem, non niſi ſoli Deo, iſta vox tribuitur.

IX. Jehova dicitur in caſu recto, non obliquo.

In caſu recto non dicitur niſi de Deo; in caſu obliquo dicitur etiam de creaturis; ut cum dicitur, Mons Jehovæ.

X. Attributa Dei non differunt in Deo, niſi ratione modi noſtri concipiendi.

Quærunt Scholaſtici anxiè quomodo differant attributa Dei in Deo? an *realiter*, an *formaliter*, an *modaliter*, an *ratione*, ſive *diſtinctione rationis*. Dicimus *ratione*, & propterea ſolemus etiam hoc efferre iſtis terminis, differunt modo noſtro concipiendi.

Obj. Attributa Dei definitione differunt: Ergo differunt inter ſe. *Reſp.* Attributa Dei tum definiri in ratione ad creaturas & effecta, quæ edit circum creaturam; non in ratione ad Deum, qui abſolutè unus eſt. Verbi gratia; aliter definitur miſericordia, aliter juſtitia, propter ſcilicet diverſa, in objectis diverſis, effecta, etſi in Deo abſolutè

unum

unum ſint. In Deo enim, etſi ſit *aliud* & *aliud*, non tamen eſt *alius & alius*.

XI. Cauſa, quare diſtinguimus in Deo attributa ab eſſentia, eſt inadæquatus noſter conceptus.

Ruſticus aliquis craſſus, non capit valorem numiſmatis aurei vel argentei, niſi ipſi per nummulos fuerit diviſus. Tales & nos in hac cognitione de Deo ſumus: Deus enim infinitus eſt, & unum omnia; ſed nos iſta omnia quæ unum ſunt, non capimus, niſi partiamur quaſi: & hinc omnia iſta quæ Deo tribuuntur, & in Deo non niſi unum ſunt, tanquam diſtincta percipimus.

XII. Sunt attributa Dei alia *abſoluta*, alia *relata*.

Obvia eſt hæc diſtinctio apud Theologos, ſed quæ non ita explicatur, & quæ difficultatem habet aliquam quoad membrum poſterius: Nam Vorſtiani ſemper ex hoc ārgumentantur, hæc attributa non eſſe Deum, quia poterant non eſſe. Verbi gratia; dum de decretis diſputant, dicunt, Poterat decretum non eſſe, quia Deus poterat non decreviſſe, & tamen Deus non poterat non eſſe. At verò in his, talia argumenta proficiſcuntur ex ignorantia attributorum Dei relatorum: Nam duo ſignificant; *eſſentiam* Dei

Dei & *denominationem* al quam à re externa ſive nomenclaturam. Denominatio Dei poterat non eſſe, hoc eſt, poterat voluntas Dei non vocari decretum, & tamen ipſa non poterat non eſſe. Sic Deus poterat non eſſe creator, & non habere hoc nomen, at non poterat non eſſe Deus.

XIII. Attributa Dei alia *communicabilia*, alia *incommunicabilia* ſunt.

Incommunicabilia dicuntur, quorum nihil ſimile reperitur in creaturis, ut eſſe infinitum, æternum, immenſum. Communicabilia ſunt, quorum aliquid analogi reperitur in creaturis, ut ſapientia, voluntas, juſtitia, miſericordia, eſſentia. Cæterum, hoc analogum quod eſt in creaturis, vel *veſtigium Dei*, vel *imago Dei* eſt. Veſtigium Dei, vocatur τὸ eſſe, ſive eſſentia, item vita, quod veſtigium etiam eſt in rebus viven ibus extra homines & Angelos conſtitutis. Imago autem Dei, illa dicitur ſimilitudo cum Deo, ratione intellectus, voluntatis, integritatis, juſtitiæ, dominii in creaturas, quæ in ſolos homines & Angelos cadit.

XIV. Deus eſt immutabilis ratione *eſſentiæ*, *loci*, *voluntatis*.

Eſſentia enim ſi mutari debeat, à potentiori deberet mutari, quem Deus nullum ha-

habet. Nec ratione *loci*, quia ubique eſt. Blaſphemè hic ab Atheis objicitur, Qui ubique eſt, nuſpiam eſt; quia hoc non de Deo, ſed de hominibus, variis locis atque occupationibus diſtractis, verificatur. Non etiam ratione *voluntatis*, quia ille eam non mutat. Nomina vero quæ Deo in tempore acceſſerunt, ut Creator, non mutationem in Deo ſed in creatura denotant.

XV. *Æternum* dicitur dupliciter, *propriè* & *impropriè*. Propriè illud, quod principio & fine, omni denique ſucceſſione caret. *Impropriè* æternum eſt, initium & ſucceſſionem habens, ſed quod finem nullum habiturum eſt, quale cadit in homines & Angelos.

Apud Philoſophos diſtinguuntur tempus, ævum, & æternitas. *Tempus* eſt, quod habet principium, finem & ſucceſſionem. *Ævum*, quod quidem non caret principio & ſucceſſione, ſed fine caret, quæ dicitur æternitas *à parte poſt*. *Æternitas* vero eſt, quæ caret principio, fine & ſucceſſione, & dicitur æternitas *à parte ante* & *à parte poſt*.

XVI. Æternitati res coëxiſtunt non *adæquatè*, ſed *inadæquatè*.

Hoc

Hoc eſt, in Deo nulla datur ſucceſſio, præſentis, præteriti & futuri, ſed omnia illi præſentia.

XVII. Infinitum dicitur dupliciter, vel ut opponitur determinato, & Græcis vocatur ἄοριστον, quaſi dicas, *non definitum*. Verbi gratia: Quantitas diſcreta, potentia non definita. Vel ut opponitur illi quod eſt limitatum, & dicitur τὸ ἄπειρον. Et hoc modo Deus eſt infinitus, quia non habet terminos eſſentiæ ſuæ.

XVIII. Deus eſt ubique ut cauſa conſervans in effectis,

Non certe ut locatum in loco; alioqui caperetur à re aliqua. Proindè approbanda non eſt iſta diſtinctio Scholaſticorum quoad primum membrum, quâ dicunt: Deus eſt in loco *repletivè*, ſpiritus *definitivè*, corpus *circumſcriptivè*.

XIX. Deus ubicunque eſt, totus eſt.

Obj. At partes non habet; etſi totus in una re non eſt totus in altera. *Reſp.* Totum vel pro perfecto ſumitur abſolutè, vel relatè quoad partes. Priori modo non poſteriori Deus dicitur totus. Deinde aliud eſt *totum*

eſſe

esse, aliud, *totaliter esse*. Nam *totaliter esse*, significat ita esse alicubi, ut alibi extra eum locum non sit. Deus ergo dicitur ubicunque est, totus esse, non totaliter: quia totaliter non nisi in se ipso est.

XX. Deus est immortalis, invisibilis, negativè, non privativè.

Etiam Angeli negativè sunt invisibiles, non autem immortales, sed privativè.

Obj. Atqui in Angelos mors cadere non potest; Ergo possunt dici privativè immortales. *Resp.* Immortale non tantum opponi *mortali*, sed etiam *annihilationi*, ita, utut Angeli prima significatione non sint mortales, posteriori tamen sint annihilabiles.

XXI. Dei visio quintuplex est; 1. in somniis; 2. in signis; 3. in carne; 4. per fidem; 5. ex creatione & effectis. Rom. 1. 19, 20.

Vorstius contendit, Deum videri oculis corporeis, sed absurdè: Nam Deus est spiritus; oculis corporeis videri non potest.

XXII. Potentia Dei non propriè, sed impropriè de Deo dicitur.

Deus est actus purissimus; cùm ergo dicitur posse aliquid, non potentiam in ipso designat, sed potentiam passivam in subjecto,

jecto, qua actum Divinæ actionis ſubire poteſt, quæ nihil aliud eſt quam non repugnantia, ut res fiat potentiâ Dei.

XXIII. Potentia Dei diſtinguitur in *ordinariam* & *abſolutam*.

Ordinaria eſt, quæ eſt ex conſilio definito Dei. *Abſoluta*, quæ in ſe conſideratur abſolutè. De hac quæritur, an ſit in Deo? Calvinus videtur negare, ſed malè: nam loca iſta Scripturæ explicari non poterunt commodè; *Poteſt Deus ex lapidibus filios Abrahæ excitare*; Annon *poſſem rogare Patrem meum, & dabit mihi duodecim legiones Angelorum*.

XXIV. *Potentia* & *Poteſtas* diſtinguuntur in Chriſto.

Poteſtas *officium*, potentia *naturam* notat.

XXV. Scientia in Deo duplex eſt; *Viſionis*, & *ſimplicis intelligentiæ*.

Viſionis, dicitur ſcientia futurorum, quæ nititur decreto Dei. Ideo enim Deus ſcit futura, quia decrevit. *Simplicis intelligentiæ* dicitur ſcientia poſſibilium, ut quando Deus ſcit quid ſibi poſſibile eſt, etiamſi hoc non ſit facturus, & innititur potentiæ abſolutæ. Cæterum ſciendum eſt, Arminianos confinxiſſe tertiam ſpeciem ſcientiæ Divinæ, & vocare illam *ſcientiam mediam*, ſive *conditionatam*, quando ſcilicet Deus novit aliquid even-

eventurum quod nunquam decrevit. Sed abſurda illa eſt. Nam nihil evenit; quod Deus non decrevit. Thren. 3. verſ. 37.

XXVI. Contingentia non eſt determinata veritas.

Scilicet reſpectu *intellectus creati*, non *increati*. Hinc Philoſophi dicunt, quod intellectus divinus ſit menſura, norma & regula intellectus creati.

XXVII. Res ſunt, quia Deus ſcit; ſcientiâ nimirum practicâ & viſionis, (quæ decreto Dei nititur) non verò ſcit, quia ſunt.

Alias enim conformaretur intellectus Dei ad rem, & ita haberet potentiam paſſivam, ad perfectionem acquirendam à re: & perficeretur à re, quod eſt abſurdiſſimum.

XXVIII. Voluntas Dei alia eſt permiſſiva, alia effectiva.

XXIX. Permiſſio duplex, Phyſica, vel Ethica.

Phyſica eſt τὸ non impedire. Act. 14. 16. Matth. 19. 8. Non impedita Deus permittit peccata dupliciter, vel *ſubtrahendo* gratiam, non inhærentem, ſed aſſiſtentem, 2 Chron. 32. verſ. 31. quod fit in peccato omiſſionis; vel *promovendo* creaturam malam ad ope-

ram=

randum, quod ſit in peccato commiſſionis.

XXX. Diſtinctio voluntatis in ſigni & beneplaciti, non eſt diſtinctio, ſed tantùm vocis ambiguæ explicatio.

Voluntas enim ſigni nihil aliud eſt quam Verbum Dei: Verbum autem Dei eſt effectum voluntatis Dei, non ipſa voluntas.

XXXI. Voluntas beneplaciti & voluntas ſigni non pugnat, ſi voluntas ſigni ex fine judicatur.

Adverſarii dicunt, nos pugnantes in Deo Voluntates ſtatuere, quia dicimus, Deum non omnes velle ſervare quos vocat; nam quoſdam vocat, non ut ſalvet, ſed ut reddat inexcuſabiles.

XXXII. Voluntas beneplaciti non dicitur talis ratione objecti circa quod occupatur, ſed ratione cauſæ impulſivæ, ſive ex modo volendi, quod ſcil. agat ita, ex eo quod ipſi placet.

Cùm dicimus voluntate beneplaciti omnia evenire, non dicimus Deo placere omnia quæ eveniunt, atque adeo etiam peccatum, quod falſum eſt.

XXXIII. Diſtinctio voluntatis

Dei in abſolutam & conditionatam, vaniſſima eſt.

Quia ſicut Deus non poteſt diſtingui, ita nec Voluntas. Voluntas enim Dei Deus eſt.

XXXIV. Item in antecedentem & conſequentem vana eſt.

Quia in Deo ponit mutabilitatem: Ponit enim Deum voluiſſe omnes ſalvos fieri, poſtmodum cùm vidiſſet non omnes credituros, mutaſſe ſententiam, & nullos voluiſſe ſervari, niſi credentes; qualis mutatio in Deum non cadit. Jacob. 1.17.

XXXV. Voluntatis Divinæ diſtinctio in approbantem tantum, vel approbantem & efficientem ſimul, nulla eſt.

Solent quidam ex noſtratibus uti iſtâ diſtinctione; Deus, inquiunt, vult approbativè omnes ſalvos fieri, ſed non effectivè; ſed ineptè: Nam quod Deus approbat, illud vult. Pſal. 115.3. Omnia, quæ voluit Deus, ſive quibus delectatus eſt, fecit.

XXXVI. Sic voluntatis efficacis & inefficacis diſtinctio vana eſt.

Quia omnis voluntas Dei impletur, nec Deus mutat voluntatem ſuam, ut liquet Eſai. cap. 46. verſ. 10. nec quiſquam irritam reddere poteſt voluntatem Dei. Eſai. 49.

Obj-

Obj. At Deus non omnia quæ vult, efficit. *Resp.* Efficax non dicitur, ab efficiente, nec significat efficiens, ſed idem quod non irritum; ut ſenſus ſit: nulla voluntas Dei eſt irrita.

XXXVII. Conſilium non tribuitur Deo *propriè*, ſed *impropriè*.

Conſilium in illo locum habet, qui conſultat; qui conſultat, ille ignorat: in Deo autem nulla ignorantia eſt, Ergo, nulla conſultatio. Tribuitur ergo Deo κατ' ἀνθρωποπάθειαν deſumptam ab homine ſapiente, qui nihil ſine conſilio agit.

Cap. V.

De Deo Patre.

I. Pater eſt principium perſonarum in SS. Trinitate originis, non naturæ, vel temporis.

Dicitur Pater principium, ſed nec Filius, nec Spiritus Sanctus principiata.

Obj. Socin. Poſito uno relatorum ponitur alterum. *Reſp.* Iſta propriè non ſunt relata prædicamentalia, de quibus hoc enunciatur, ſed ſunt tranſcendentalia. Non autem relatorum quorumvis uno poſito, ponitur alterum; ut fit in relatis ſecundum dici; non enim ibi ſi unum eſt, ſtatim etiam alterum eſt.

II. Filius est à Patre ratione modi subsistendi in essentia, non ratione essentiæ.

Est egregia distinctio apud Theolog. ubi dicitur, Filius nō est αὐτοθεὸς sed αὐτόθεος. Sciendum magnam disputationem ortam inter Arminianos, Vorstium, & nostras Ecclesias, quia Arminiani & Vorstius dicebant Filium esse à Patre quoad essentiam, atque ita non αὐτόθεον à se deum: quod si sic, E. est dependens Deus, creatura ergo.

III. Generatio quæ est in Deo, est æterna, & tamen perfecta.

Disputant aliqui an Filius desinat generari nec ne; dicunt enim, si desiit, Ergo est mutatio; si non, Ergo imperfecta. At nos ex Adversariis vicissim possumus quærere, an. Sp. S. procedat adhuc à Patre, nec ne; si desiit, Ergo mutatus; si adhuc, Ergo imperfectus. Vanitas ergo istius argumenti liquet ex eo, quod etiam in natura sint aliqui actus permanentes, qui tamen simulac sunt, perfecti sunt. Verbi gratia, Lux manat è Sole perpetuo, & tamen perfecta simulac emanat. Sic visio nostra simulac fit, perfecta est, tamen non cessat.

IV. Generatio quæ in Deo est non est *physica*, sed *hyperphysica*.

Hinc liquet quam ineptè argumentantur Soci-

Sociniani, qui ut tollant generationem quæ eſt in Deo, Argumenta ſua proferre ſolent ex generatione phyſica; at hæc nihil præter nomen cum hyperphyſica commune habet; ergo argumentatio illorum non procedit. Quod autem ſit hyperphyſica, liquet; quia Deus natura non eſt, ſed aliquid ſupra naturam.

V. Generatio quæ in Deo eſt, etſi ſit hyperphyſica, tamen non eſt metaphorica, ſed propriè dicta.

Adverſarii dicunt eam non propriè dictam eſſe generationem, quia non eſt generatio phyſica. at quam ineptè? nam hic etiam dici poſſet, Deus non habet eſſe phyſicum; ergo Deus non habet eſſe propriè dictum.

VI. Invocatio Dei duplex eſt; *Abſoluta*, vel *relativa*.

Subjicimus hanc diſtinctionem, quia pendet ab iſtis, quæ modo diximus. Socinus ridet hanc diſtinctionem, & dicit omnem invocationem eſſe relativam. *Reſp.* Adorationem ſumi vel *natura ſua*, vel *ratione objectorum*. Naturâ ſuâ omnis invocatio eſt relativa; at ratione objectorum eſt vel *abſoluta*, vel *relativa*. *Abſoluta* illa vocatur, quâ tota SS. Trinitas invocatur; *Relativa*, quâ Pater per Filium invocatur.

VII. Deus gignit filium voluntate & intellectu.

Ratio eſt, quia unum idémque ſunt in Deo.

Obj. At quæ Deus vult, poterat non velle; unde illa quæ vult, quodam modo contingentia ſunt. *Reſp.* Duplicia ſunt quæ Deus vult; quædam ad intra, & illa non poſſunt non fieri & non velle; quædam ad extra, & illa potuiſſet non velle, atque adeò potuiſſent non fieri.

VIII. Communicatio Dei alia eſt neceſſaria abſolutè, alia neceſſaria ex hypotheſi voluntatis ſuæ.

Quæritur. Quomodo illud axioma intelligendum eſt. *Bonum eſt communicativum* ſui, & an etiam ad Deum referri debeat? *Reſp.* Aff. Sed de Deo etiam dici iſtam communicationem vel ad intra; ita communicat Filio modum ſubſiſtendi in eſſentia; Ita pater & Filius communicant Spirit. Sancto modum ſubſiſtendi in eſſentia Divina. At vero illa communicatio quæ ad extra eſt, & ſecundum quam ſe communicat creaturis, eſt communicatio qua poterat non eſſe; poterat enim nihil iſtarum feciſſe quæ fecit, atque adeo creaturis ſe communicaſſe. Communicationem ad intra, vocant Scholaſtici *formalem*, eam vero quæ ad extra eſt *effectivam*.

IX. Acti-

IX. Activa & passiva generatio non inferunt in Deo compositionem.

Sociniani hoc urgent, cùm illi interim sùsque déque ferant, an in Deo compositio datur nec ne. Cæterum non dari in Deo compositionem, sive hanc distinctionem non efficere compositionem in Deo probatur. Neque enim quatenus ad se referuntur, [sic enim inter se sunt opposita] neque quatenus ad essentiam pertinent [sic enim sunt idem cum essentia] ita ut in priori consideratione oppositio compositionem impediat, in posteriori autem identitas cum essentia eam non admittat.

X. Filius Dei dicitur quasi unigenitus; ubi particula *quasi* non est assimulativa veri, sed expressiva veri.

Accipitur enim vel ut *similitudinem*, vel ut *veritatem* notat. Cùm autem dicitur, Filius *quasi* unigenitus, veritatem rei notat: sic & cùm dicitur Luc. 22. Et sudor ejus erat *quasi* grumi sanguinis.

XI. Proprium dicitur multis modis.

Proprium dicitur, 1. quod opponitur *alieno*; ita dicitur proprius Dei populus, hoc est, qui non est alterius: 2. Proprium accipitur prout opponitur illi quod non est alicui natu-

rale, ita proprius ſanguis. 3. Proprium accipitur prout opponitur accidenti communi. Ita divinæ naturæ propriuin eſt, eſſe ubique. 4. Prout opponitur adoptivo. Et ita Chriſtus filius proprius dicitur, Rom. 8.

XII. Filius Dei multipliciter dicitur; vel Filius qui eſt ex eſſentia Patris genitus, vel jure creationis, quales Angeli, Job. 1. vel jure adoptionis, & ita omnes fideles ſunt filii Dei.

Quæritur, An etiam humana Chriſti natura dici poſſit Dei Filius? Commentarii in Catecheſin hoc volunt, eſſe Filium ratione unionis hypoſtaticæ; ſed in Scriptura, nihil tale, imo, contrarium; nam ſemper diſtinguitur Filius Dei à Chriſto quatenus homo; *at* Rom. 1. *de Filio ſuo qui ex ſemine Davidis ſecundum carnem*, & paſſim.

XIII. Filius Dei non poteſt operari à ſe ipſo, niſi quod Patrem viderit operantem.

Sōcinus putat hunc locum demonſtrare Chriſtum non eſſe Deum; at inepte: Nam hoc ibi non dicitur ex *defectu potentiæ*, ſed ob *inſeparabilitatem naturæ*, quoniam unius eſſentiæ eſt filius cum Patre; quare etiam ibidem Joh. 5. dicitur, quod pariter operetur ac Pater

Pater, quod non poſſet eſſe, niſi eſſet ejuſdem naturæ cum Patre.

XIV. Primogenitus dicitur duobus modis: 1. Propriè ſumitur pro eo, qui ante alios omnes ſui ſimiles natus eſt; 2. Impropriè, Metonymiâ antecedentis pro conſequente, ille dicitur primogenitus, qui eſt dominus & hæres omnium paternorum bonorum. Dum Chriſtus dicitur primogenitus creaturarum, poſteriori ſignificatione accipitur. Sic David dicitur primogenitus Regum, Pſ. 89. verſ. 27. quia præcipuus & primarius inter Reges fuit.

XV. Filius eſt minor patre, Joh. cap. 14. verſ. 18.

1. Ratione humanæ naturæ: 2. Ratione officii mediatorii. Hinc regula Theologorum; *Inæqualitas officii, non facit inæqualitatem naturæ.*

XVI. Spiritus Sanctus accipitur vel pro donis, vel pro autore donorum, 1 Cor. 12.

XVII. Spiritus Sanctus procedit tàm à Patre, quam à Filio.

Græci negant hoc, & dicunt eum à Patre tantùm procedere. Verum procedit quidem à Patre, aſt non ita, ut Filius excludatur.

XVIII. Dum Spiritus Sanctus dari alicui dicitur, non notat præſentiam ejus localem, ſed certam operationem.

Quia Spiritus Sanctus eſt ubique; dum igitur dicitur venire & dari, intelligitur per hoc operatio, quam ibi edit.

XIX. Proceſſio Spiritus Sancti duplex eſt, *Æterna* & *Temporaria*.

Æterna ſignificat modum ſubſiſtendi in eſſentia divina. *Temporaria* autem nihil aliud quam operationem.

XX. Spiritus Sanctus dicitur interpellare pro nobis, non *propriè*, ſed *impropriè*. Rom. 8.

Non interpellat, ſed facit nos interpellantes, & Deum rogantes. Interpellat pro nobis non *formaliter*, ſed *efficaciter*, ut Scholæ loquuntur.

XXI. Spiritus Sanctus ita in Deo Patre & Filio eſt, ut Pater & Filius ſint in Spiritu Sancto.

*V*ocant hoc Theologi per περιχώρησιν quod eſt, ſi Latinè vertas, *immeatio*. Cæterum

tum Sociniani contendunt Spiritum Sanctum non eſſe Deum & perſonam, quia eſt in perſona; at hoc pacto negent Patrem & Filium eſſe Perſonas. Pater enim eſt in Filio, Filius autem etiam in Patre; ut Joh. 14. 10, 11.

XXII. Deus & creatura nihil habent commune præter nomen.

Si enim habent aliquid commune, illud aut foret finitum, aut infinitum. Si finitum; ergo Deus finitus: Si infinitum; ergo creatura infinita.

XXIII. De Deo magis verificantur abſtracta, quam concreta.

Hoc eſt; Deus potius eſſentia eſt, quam ens, ſapientia, quam ſapiens, immenſitas, quam immenſus. Sed ſciendum eſt, verum hoc eſſe in attributis *abſolutis*; nam in *relatis* quæ actionem notant, concreta magis verificantur; melius enim quadrat, dicere Deum creatorem, quam creationem.

XXIV. Infinitum plus uno eſſe non poteſt.

Hoc etiam Ethnici agnoverunt: non enim poſſunt eſſe plura entia independentia, quam unum. Probatur; quia ſi hoc, aut infinita illa ſe invicem caperent, & tum non eſſent infinita; aut non, & ſic etiam definitos

tos terminos haberent eſſentiæ, quia unum ab altero diſtaret.

XXV. Ab omnipotentia non eſt argumentandum ad id, cujus contrarium exſtat in Scriptura.

Verbi gratia, ſiquis ita vellet; Deus poteſt condemnare fideles; ergo condemnabit. Contrarium enim extat.

XXVI. Ab omnipotentia *Dei* non eſt argumentandum, niſi etiam conſtat de voluntate.

Ineptum enim eſſet, ſi dicerem, Deus poteſt me facere Regem, Ergo faciet.

XXVII. Voluntas Dei eſt regula omnis boni.

Dupliciter hoc capi poteſt, vel quod ſit cauſa omnis boni, vel quicquid Deus vult, eſſe bonum. Sciendum autem hic, quædam juſta eſſe, quia Deus vult; quædam verò eum velle, quia juſta ſunt.

XXVIII. Affectus in Deo non eſt, niſi effectus & voluntas Dei.

Ita ira, odium, ſignificant voluntatem Dei puniendi.

CAP.

Cap. VI.
De Creatione.

I. CReatio duplex eſt; *Mediata*, & *Immediata*. *Mediata* eſt, quæ fit ex re inhabili. *Immediata*, quæ fit ex nihilo.

Deum ex nihilo omnia feciſſe, liquet Roman. 4 17. *Qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ſint*: & ad Heb. 11.3. *Per fidem intelligimus mundum non ex apparentibus factum.*

II. Particula iſta, *per*, quâ utitur Sp. S. in opere creationis, aliquando abſolutè notat cauſam efficientem, aliquando ordinem in agendo.

Cauſam notare Rom. 11. 6. patet; *Ex quo*, per *quem*, *& ad quem ſunt omnia*. Ordinem, dum Filio tribuitur Joh. 1. *Per quem facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil.*

III. Dicitur Deus finis omnium, non indigentiæ, ſed perfectionis & aſſimulationis.

Dicitur Prover. 41. Deum omnia condidiſſe propter ſe, hoc quomodo intelligendum, quæritur, *Reſp.* De fine perfectionis, quia Deus creaturis opus non habuit, neque earum indigus fuit: Ergo creavit omnia

propter

propter ſe, tanquam finem *aſſimilationis*, ut ſe communicaret creaturis. Job. 33.

IV. Deus quæcunque fecit, non fecit tractu temporis, ſed in momento.

Pſal. 33. *Dixit*, inquit, *& facta ſunt.* Interim hîc conciliatio eſt adhibenda; nam dicitur Deum ſex diebus operatum eſſe, quod ita accipiendum, ſex momentis condidiſſe, ita ut quæ ſingulo die dicuntur facta, momento iſtius diei facta eſſe cenſenda ſint.

V. Deus quievit ab operibus, & tamen operatur.

Prius habetur in libro Geneſeos: poſterius Joh. 5. conciliantur iſta ſic; quievit à ſpeciebus novis creandis, ſed non quievit à ſpeciebus creatis conſervandis & propagandis. Conſervatio enim eſt quaſi creationis continuatio.

VI. Deus fecit omnia valde bona, & tamen mutabilia.

Quæritur: Quomodo hoc verum eſſe poſſit? *Reſp.* Bonitas duplex eſt; entis independentis, & dependentis. Illa eſt ſimplex immutabilis, hæc autem mutabilis, imo ita creaturam ſequitur, ut ſit proprium ejus quarti modi; nec eſt defectus privativus hæc mutabilitas in creaturis, ſed eſt defectus negativus, qui in creatura rationali non eſt peccatum

catum. *Quaritur* deinde: Quomodo hinc Theologi noſtri deducant bonitatem hominis moralem, cùm hîc agatur de bonitate rerum communi, quæ certe moralis eſſe non poteſt, niſi elicere velimus, morale bonum cadere in omne quod eſt. *Reſp.* Agitur hîc non de bonitate aliqua generali, ſed de ea, quæ unicuique ſpeciei eſt propria: cùm ergo bonitas moralis homini propria ſit, hoc loco quoque intelligenda eſt.

VII. Noxium eſt vel ab ipſa prima creatione, vel à lapſu.

Quæritur: An beſtiæ etiam noxiæ creatæ ſint; item herbæ venenatæ? *Reſp.* Neg. Nam quæ hominibus nocere ſolent, in ſtatu integritatis non erant nocitura, ſed quod in nos ſæviant, hoc ex culpa acceſſit, ut ſit nobis pœna.

VIII. Confuſum quicquid eſt, vel eſt tale ratione cauſæ ſecundæ, vel primæ.

Dicuntur omnia à Deo in certo numero, pondere & menſura facta eſſe; poſſet jam inferri, nullam fore confuſionem in rebus, quod falſum eſſe, experientia docet. *Reſp.* Confuſa videntur ratione noſtri, quæ ratione Dei ordinatiſſima ſunt: 1. omnia enim ad certos fines diriguntur; 2. per certa media. Utrumque hoc liquet ex doctrina de providentia.

IX. Pec-

IX. Peccatum Angelorum eſt vel objecto primum, vel motu primum.

Valde diſputant Theologi noſtri de eo, quodnam fuerit primum peccatum. Et quidem ſi de *motu primo* quæramus, hoc facile ſcitur: nam omne peccatum actuale habet iſtos gradus; 1. dubitatio cum deliberatione conjuncta; 2. propoſitum faciendi; 3. factum ipſum. Diabolorum ergo peccatum *motu primum* erat, dubitatio, infidelitas. *Objecto* vero primum quod ſit, non facile cognoſcitur; probabile tamen eſt, fuiſſe ſuperbiam.

X. Inter Angelos datur ordo, non ratione naturæ, ſed ratione officiorum.

Hoc eſt, quod aliis majora, aliis minora demandata ſint.

XI. Angelus alius eſt creatus, alius increatus.

Nam Angelus dicitur Filius Dei, qui eſt Deus æternus, Exod. 3. Nam ille qui hîc dicitur Angelus Jehovæ, dicitur Deus Abrahami, Iſaaci, Jacobi, & dicitur Jehova, Geneſ. 22. Item Angelus faciei Dei. An vero hîc idem Angelus vocetur Michael, de eo controvertitur ex Scriptura. Nos negamus; Michaël enim ille non auſus eſt Sathanæ impingere notam maledictionis; ſed dixit: *increa-*

increpet te Dominus. Christus autem Sathanæ maledictionis notam impingere ausus est. Marc. 1. 25.

XII. Hominis tantum duæ sunt partes essentiales. Corpus scilicet & anima.

Liquet hoc Matth. 10. ubi Christus dicit: *Ne timete eos qui trucidant corpus*, &c. Eccles. 12. *Corpus redit ad terram, spiritus ad Deum.*

Obj. Ex Psal. 5. 23. Heb. 3. ubi tres nominantur, corpus, anima & spiritus. *Resp.* Dum anima & spiritus corpori contradistinguuntur non intelliguntur duo diversa, sed una eadémque res per diversas facultates expressa. Nam per animam, 1. intelligitur anima sensitiva, per spiritum facultas rationalis, ut hoc prolixè probatur à Theodor. Beza in annotat. Maj. N. T.

XIII. Homo in integritatis statu potuit non mori. In statu lapsus non potest non mori; in statu glorificationis non poterit mori.

In statu integritatis potuit non mori, quia potuit non peccasse. In statu lapsus omnibus semel constitutum est mori. Hebr. 9. *quia stipendium peccati est mors.* In statu gloriæ *erunt similes Angelis,* Luc. 10. *immortales.*

XIV.

XIV. Homo in ſtatu integritatis erat corruptibilis naturâ ; Non verò corrumpendus gratiâ & beneficio Dei.

Corruptibilem fuiſſe natura liquet. 1. Erat ex quatuor elementis compoſitus: 2. edebat, bibebat, nec tamen moriturus erat ; quia mors eſt propter peccatum.

Obj. Quodcunque propter peccatum eſt, pœna eſt ; at mortalitas propter peccatum eſt : Ergo per conſequens, homo non fuit mortalis. *Reſp.* Non dicimus hominem fuiſſe mortalem proximâ potentia ; ſed dum dicimus potuiſſe mori, intelligimus potentiam remotam, ſive poſſibilitatem moriendi, quam alii vocant, non repugnantiam.

XV. In ſtatu integritatis intellectus hominis erat bonus mutabiliter, voluntas bona mutabiliter.

Quæritur : Cùm homo fuerit bonus in ſtatu integritatis, anne ergo arbor bona poteſt malos fructus ferre ? *Reſp.* Bona arbor, quæ immutabiliter bona eſt, non poteſt malos fructos ferre ; at quæ mutabiliter, poteſt ; mutari enim poteſt, & ex bona mala fieri.

XVI. Ignorantia earum rerum, quas

quas ſcire non debemus, non eſt peccatum; at earum quas ſcire debemus, eſt peccatum.

Quæritur; An hoc peccatum fuerit, quòd Eva ignoraverit ſerpentem loqui poſſe?

Reſp. Non: Erat enim ex iſtis, quæ non tenebatur ſcire, ſed experientia demum fuerat aſſecutura; ſed hoc peccatum erat, quod putabat iſti arbori vetitæ vim ineſſe ſcientiæ boni & mali, cùm fuerit tantum Sacramentum.

XVII. **Aliter ſe habuit liberum arbitrium in ſtatu integritatis, aliter in ſtatu lapſus, aliter in ſtatu reparationis, aliter in ſtatu glorificationis.**

In ſtatu integritatis potuit velle & non velle; erat enim naturâ ſuâ ad utrumque habile, ac proinde liberum erat à miſeratione & coactione. In ſtatu lapſus ita ſe habet, ut non poſſit bonum ſpirituale velle, nec morale benè, poteſt tamen bonum ſpirituale rejicere & morale non facere, itaque liberum eſt à coactione, non autem à miſeriâ. In ſtatu reparationis habet ſe homo ad utrumque quidem, ſed ex parte liberum, à miſeria & coactione. In ſtatu glorificationis non poteſt niſi bonum; Liberum itaque erit omni modo à miſeria & coactione.

XVIII.

XVIII. Imago Dei consistit in *natura, rectitudine & dominio.*

In *natura*, Gen. 9 6. qui effundit sanguinem, &c. in *rectitudine*, Eph. 4. 20, 21, 22, 23. Col. 3. 8, 9, 10. in *dominio* Gen. 1. 26.

XIX. Omnis creatio novitatem sapit, atque adeo non poterat esse ab æterno.

Sunt aliqui absurdi Philosophi qui docent, Deum ab æterno potuisse condere omnia, quod ita urgent: *Quær.* An non Deus semper potuisset facere mundum? si ita, ergo etiam ab æterno. *Resp.* Potuit semper in tempore cum tempore, non tamen absque tempore; contradictio enim est.

XX. Creatio activa ipse Deus est.

Alii Scholasticorum negant, alii affirmant; sed aliqui distinguunt inter creationem activam & passivam. Nota autem, illa regula est, quod verbalia in *io* ab activis descendentia, & actionem, & passionem significant. *Activè* ergo voce creationis sumptâ, damus esse Deum ipsum, non *passivè*; & hoc ita esse ostenditur. Ista creatio activa aut creatione creatâ, aut non; Si creatione creatâ, iterum pergam quærere, quid sit, an creatura, an Deus? si creatura, creatione creata, & sic processus in infinitum.

XXI.

XXI. Omnium rerum creatarum idem eſt finis & cauſa efficiens.

Cauſa efficiens agit propter finem: Cùm ergo rerum creatarum fuerit efficiens, ut extra creaturas nulla dari poſſit præter Deum, etiam Deus ipſe erit finis omnium.

XXII. Deus nunquam fruſtratur ſuo fine.

Cauſa ſecunda fine ſuo fruſtrari poteſt; at non cauſa prima, 1. quia quod fruſtratur ſuo fine eſt ignorans; at Deus nullius rei eſt ignorans. 2. Quia qui fruſtratur ſuo fine, hoc non eſt in ejus poteſtate, ut fiat; at omnia ſunt in Dei poteſtate.

XXIII. Ex intellectu humano res divinæ non ſunt judicandæ.

Utiliſſima eſt hæc regula. Habetur Eſa 59. *Non ſunt viæ meæ ſicut viæ veſtræ, &c.* Affertur autem hæc regula eò, quod multi putant, cùm Deus condiderit omnia in menſura, pondere & ordine, quod hoc non conſiſtere poſſit, quod hæc regula dicit, quia ſunt confuſa multa. *Reſp.* Ex hac regulâ, quod confuſa non ſint æſtimanda ex intellectu humano, ſed divino.

XXIV. Aliquid quod eſt abſolutè

lutè dignius, poteſt certo reſpecta eſſe indignius.

Dignitas eſt vel abſoluta, vel relata. Sic Angeli relatè conſiderati, quatenus miſſi ſunt ad miniſterium electorum, indigniores ſunt electis: At abſolutè in naturâ ſuâ conſiderati, electis digniores ſunt. Sic Chriſtus quatenus medium ſalutis, indignior eſt Eccleſiâ. At abſolutè naturâ ſuâ conſideratus, infinities Eccleſiam dignitate ſuâ excedit.

XXV. **Inter bonos Angelos eſt ordo, non naturæ præſtantiâ, ſed officiorum eminentiâ.**

Diſputatur inter Theologos, in quâ re nitatur iſta ordo? dicimus nos niti non præſtantiâ naturæ, ſed officiorum eminentiâ.

XXVI. **Imago Dei non dicitur univocè de Chriſto & nobis.**

Nam Chriſtus *eſſentialis* imago eſt, nos verò *accidentalis*; & quidem accidentalis analogica, ut dici ſolet.

CAP. VII.

De Prædeſtinatione.

I. **PRædeſtinatio eſt vel hominum, vel Angelorum.**

Homi-

Hominum, Rom. 8.30. *Quos prædeſtinavit.* Angelorum, 1 Tim. 5.21. *Et electorum Angelorum.*

II. Prædeſtinatio eſt vel electio vel reprobatio.

Graviter de eo diſputatur, an Prædeſtinatio poſſit tribui utrique. Nos affirmamus? quod vel unico argumento oſtendimus. Si peccata dicuntur in Scripturâ prædeſtinata, ergo & homines ad illa patranda: Ergo, pertinet ad reprobationem Prædeſtinatio. At verum prius, Act, 2. 23. & cap. 4. 27, 28. Si ergo peccata dicuntur prædeſtinata, & homines ad illa, cur non reprobationi quoque tribui poſſit vox Prædeſtinationis? & quidem ratione longè potiori; quia reprobatio eſt deſtinatio ad pœnam, quæ bona eſt moraliter, quia fit ſecundum leges juſtitiæ Dei: peccata verò mala ſunt, & tamen iis vox Prædeſtinationis accommodatur; quidni ergo & reprobationi quæ bona eſt? quippe actus juſtitiæ Dei.

III. Prædeſtinatio eſt abſoluta à cauſa impulſiva, quæ extra Deum eſt.

Si enim eſſet cauſa impulſiva, quæ moveret Deum ad hoc vel illud agendum, Deus eſſet cauſa dependens. Non autem abſoluta eſt à mediis: Verbi gratia; decrevit ſalvare fide-

fideles, ſed per & propter Chriſtum, ſic decrevit reprobos damnare propter peccata.

IV. Objectum prædeſtinationis eſt aliud ratione finis, prout eſt in intentione, aliud prout eſt in executione.

Ratione finis, prout eſt in intentione eſt homo creabilis; Ratione finis, qui eſt in executione, eſt homo condendus, conditus, permittendus in lapſum, lapſus; & ratio prioris eſt, quia finis non eſt de nihilo, ſed de aliquo; jam ille de quo eſt finis, conſideratur ut qui fieri poſſit, & hoc reſpectu Dei non poteſt conſiderari ut quod futurum ſit, nam decreviſſet Deus aliquid futurum incerto fine.

Poſterioris probatio hæc eſt: quia Deus finem hunc quem ſibi præſtituit in oſtenſione *juſtitiæ* vindicativæ & miſericordiæ, non poteſt aſſequi (non defectu *potentiæ*, ſed *objecti*) niſi hominem decreviſſet condere, condidiſſet, permiſiſſet in lapſum. Ergo hoc erit etiam objectum ratione finis prout eſt in executione.

V. Electio alia eſt ad gratiam, alia ad gloriam.

Alii ita; electio alia eſt ad finem, alia ad media; interim ſciendum non diſtingui ita niſi

niſi objectis: Deus enim unico actu omnia vult, ita elegit omnia; & quod dicitur electio ad gratiam poſterior eſſe electione ad gloriam, id ita intelligendum eſt, quod nim. ſit poſterior *naturâ* non *tempore* & ratione; quia ut ut Deus unico actu ſimpliciſſime elegerit nos ad utrumque, tamen elegit nos ad unum propter aliud, hoc eſt, elegit nos ad gratiam, propterea quia elegerat ad gloriam.

VI. Electi ſumus, ut ſimus in Chriſto, non quod eramus.

Torquet locus iſte aliquos Eph. 1. *Elegit nos in ipſo*; ſed nullâ hîc difficultas eſt, nam elegit nos eſſe, ita ut ſenſus ſit, elegit nos, non quod eramus, ſed ut eſſemus. Vid. locum parallelum Jac. 2. verſ. 5. *nonne elegit Deus pauperes hujus mundi divites fide*, certè non qui erant, ſed qui eſſent, quemadmodum ex ſequenti themate liquet, nam eodem modo elegit divites quo hæredes; at hæredes non qui erant, ſed qui eſſent.

VII. Voluit nobis Deus ſalutem, non in reſpectu ad Chriſtum ratione intentionis; at voluit in reſpectu ad Chriſtum ratione finis in executione.

Obj. Adverſarii: Si Deus Chriſtum nobis

bis misit propter salutem, ergo salutem prius voluit quam Christum, ergo non voluit in respectu ad Christum; Nam certè propter Christum in nobis salus confertur, nec est in alio quoquam salus. Act. 4. *Resp.* Si istud voluit, ratione intentionis accipiatur, verum est quod non in respectu ad Christum; si non, sed in executione ad Christum, tum certè propter Christum, προφρασικῶς hoc dicimus: Deus salutem nobis dat & constituit, ut propter Christum nobis salutem eam conferret.

VIII. Reprobatio est vel negativa vel positiva.

Negativam dicimus, non esse electum; quod scriptura istis verbis effert, *non esse scriptum in libro vitæ; non esse datum Christo.* Positiva est ordinatio ad pœnas, & ad ea, propter quæ pœna infligitur.

IX. Reprobatio positiva, est vel absoluta vel comparata.

Absoluta est ordinatio ad interitum, efferri solet his phrasibus *præscriptum esse ad æternam damnationem; vasa compacta esse ad interitum.* Rom. 9. Comparata autem est ordinatio non ad pœnam tantùm, sed ad majorem pœnam, verbi gratia, illi qui graviores pœnas subituri sunt, reprobati sunt comparatè ad majores pœnas.

X. Voca-

X. Vocabulum Electionis ſumitur vel pro decreto, vel pro temporali electione.

Pro decreto Eph.. 1. *Elegit nos in Chriſto*; pro temporali electione, 1 Cor. 1. *Deus enim quæ ſunt infirma elegit.*

XI. Reprobatio itidem accipitur vel pro *decreto*, ut cum dicimus compacta eſſe ad interitum; vel pro temporali rejectione, ut liquet in Judæis Rom. 10. 11.

XII. Odium duplex eſt, negativum vel privativum.

Negativum dicitur, quando Deus non amat aliquos, & hoc odio dicitur odiſſe Eſaum antequam quicquam mali feciſſet. Odium poſitivum eſt, quo perſequitur peccatores, Pſal. 5. 6. poſterius odium eſt propter peccatum, non prius.

XIII. Amor duplex eſt benevolentiæ & complacentiæ.

Amor benevolentiæ vocatur à Scholaſticis amor *ordinativus* & hoc amore etiam amat peccatores, quibus vult benefacere. Joh. 3. 16. *ſic Deus dilexit mundum* &c. Et Rom. 5. oſtendit Deus charitatem ſuam. Amor complacentiæ eſt quo grati ipſi ſumus

mus, de quo ad Eph. 1. *Gratos nos facit in ſuo dilecto.* Vocatur à Scholaſticis *amor collativus.*

XIV. Prædeſtinatio nihil ponit in prædeſtinato.

XV. Deus ita prædeſtinavit ad finem, ut etiam prædeſtinet ad media.

Ineptè ergo ratiocinantur qui dicunt: Si Deus me prædeſtinat ad vitam, ergo ſive credam, ſive non credam, ſalvabor tamen. Nam Deus qui prædeſtinat, non tantum ad vitam prædeſtinat, ſed etiam ad media, per quæ ad vitam pervenitur: verbi gratiâ: Deus Hiskiæ regi prolongavit vitam ad annos 15. hîc interim monetur Hiskias ab Eſaia ut ulceri, ex quo decumbebat, palatham ficuum applicet. 2 Reg. 20. Sic Paulus acceperat promiſſionem, quod nullus ipſorum cum quibus vehebatur, in mari eſſet periturus: attamen, cum videret fugituros nautas, dicit; *ſi hi abierint, non poterimus ſervari*; ſciebat enim, ut ad finem, ita ad media eſſe deſtinatos à Deo.

XVI. Malum pœnæ eſt bonum moraliter, malum phyſicè patienti.

Eſt uſitata hæc regula in ſcholis, & ex ea refellitur Keckermanus, qui arbitrabatur, prædeſtinationem de reprobatione non poſſe

recte

rectè dici, eò quod prædestinatio ratione finis dicitur, damnatio autem finis esse non potest, quia mala est. *Resp.* Non est mala, quatenus consideratur ut pœna, sit enim secundum leges justitiæ Dei.

XVII. Deus unico actu volendi omnia vult, ita tamen ut unum velit propter aliud.

Quærit. Quid sit electio, quid reprobatio? *Resp.* Quod sit definita Dei voluntas. Ergo, inquies, diversæ sunt voluntates in Deo. *Resp.* unus tamen actus simplicissimus, dicitur jam reprobatio, jam electio, ob relationem ad objecta certa & effecta circa hæc objecta. Verbi gratia, dum dico Creator, Redemptor, Conservator, unum dico esse Deum, sed varia sortitur nomina, quia diversa effecta edit.

XVIII. Electio immutabilis est.

Regula certissima Theologiæ; Cum enim Deus nullo modo mutabilis sit, etiam voluntatis ratione immutabilis erit, quia voluntas Dei est ipse Deus.

XIX Electio absoluta est.

Obj. Armin. Si absoluta est, ergo absque mediis. *Resp.* Absoluta est non à mediis, nec à fine; sed à causâ impulsivâ extra Deum, nulla enim causa impulsiva est extra Deum, quâ

movetur Deus; daretur enim in Deo potentia passiva: & sic mutabilis & imperfectus esset.

XX. Deus vult hoc esse propter hoc, non autem propter hoc vult hoc.

Utilissima hæc Scholasticorum regula est in doctrina de prædestinatione, modo intelligitur. Hoc autem vult, non esse assignandam causam divinæ voluntatis ex parte actus volendi, quamvis possit assignari ratio ex parte volitorum, in quantum scil. Deus vult esse aliquid propter aliquid.

XXI. Reprobatis est antecedens necessarium condemnationis & peccatorum.

Piscator, qui aliàs quidem solidè disputat de doctrina prædestinationis, errorem non parvum erravit. Quod scilicet statuerit peccata esse effecta reprobationis, quod falsum est; essent enim effecta voluntatis divinæ, esset hoc pacto Deus autor peccati. Non est ergo reprobatio causa, sed antecedens peccati. Deus elegit fideles non terminativè qui erant, sed objectivè qui futuri essent.

CAP. VIII.

De Dei Providentia.

PRovidentia Dei occupatur in efficiendo, conservando, agendo

do, promovendo ad agendum, & cum agente concurrendo.

Hi ſunt actus providentiæ divinæ circa bonum, nam fecit, conſervat, promovet ad agendum & concurrit in agendo, quod Sp. Sanctus expreſſit his verbis Rom. 11. ult. *Ex quo, per quem; & in quem ſunt omnia*; Cæterum notanda hìc venit diſtinctio Scholaſtica, quæ fit ratione motionis: dicunt, Deus præcurrit, concurrit & ſuccurrit cum creatura; & ſic Deus eſt præcurſor, concurſor & ſuccurſor in bonis.

II. Omnia ſunt neceſſaria in ſenſu compoſito, non in ſenſu diviſo.

Quæritur: An quæ eveniant neceſſariò eveniant? Reſpondent aliqui ratione cauſæ primæ non ſecundæ, ſed reſponſio iſta nulla eſt; Nam quod ratione cauſæ primæ neceſſarium eſt, illud ratione ſecundæ. Quia cauſa ſecunda ſubordinatur primæ; nec agit niſi mota à prima. Ergo meliùs & accuratiùs reſpondent Scholaſtici, in ſenſu compoſito eſſe omnia neceſſaria, in ſenſu diviſo contingentia. Senſus compoſitus eſt, quando conſidero rem in ordine ad decretum, & providentiam Dei cujus reſpectu omnia fiunt neceſſariò. In ſenſu diviſo dicuntur res abſolutè in ſe conſideratæ ratione habilitatis, ſecundum quam ad hoc vel illud à Deo

ordinari poterant. Ita verbi gratia, in ossibus Christi habilitas erat secundum quam poterant divinitus ordinari ut frangerentur vel non. Et hoc pacto omnia extra Deum sunt contingentia.

III. Alia est necessitas immutabilitatis, alia coactionis.

Fluit distinctio hæc ex priori, utimur autem eâ potissimum contra eos, qui negant aut contingentiam aut libertatem consistere posse cum necessitate.

IV. Necessitas alia est absoluta, alia ex hypothesi voluntatis divinæ.

Absoluta est ratione operum Dei ad intra. Ex hypothesi est ratione operum Dei ad extra. Distinctio hæc occurrit apud omnes fere Scholasticos; Cæterum hîc facilè potest corrigi error eorum, qui putant libertatem non posse consistere cum necessitate; quoniam Deus omnia quæ ad extra facit, facit necessariò ex hypothesi decreti sui, & tamen liberè.

V. dicuntur quædam curæ non esse Deo, non quod omninò non sint, sed quod ita curæ non sint ut alia, adeoq; id dicitur non absolutè sed comparatè

Deus curat omnia, sed tamen unum magis

gis quam aliud, quia unum curat propter aliud; & in comparatione dicitur non curare ea, quæ minus curat, ut liquet, 1 Cor. 9. *Num boves curæ sunt Deo?* quasi diceret non sunt curæ Deo; quod autem res ita se habet, liquet ex passerculis & capillis capitis nostri. Nam si hos & illos curat, quid ni etiam boves?

VI. Dicitur Deus nescire aliquos, non quod ignoret aut non curet illos, sed quod non approbet illos.

Aliqui ἀθεοι inde volunt extruere Deum non omnia curare, quia dicitur Deus suos tantum nosse, 2 Tim. 2. *Novit Deus qui sint sui.* Item improbos non nosse, quia Christus Matth. 7. dicit. *non novi eos.* Jam dicunt, si non novit, quomodo potest eos curare? *Resp.* Ex distinctione datâ, cognitionem Dei aliam esse nudam, aliam approbantem. Novit illos Deus cognitione *nuda*, erit enim illorum judex; at non novit approbatione de qua Psal. 1. vers. ult. *Novit Deus viam justorum.*

VII. Circa mala culpæ Dei Providentia occupatur diversimodè. 1. Illa decernit. 2. Permittit. 3. Ad finem certum efficacissimè dirigit, adeo ut ex malis bonum eliciat: denique ter-

minos malis ponit, ne ultra vadant quam Deus vult; ultimo punit.

Hi ſunt actus providentiæ divinæ circa mala; decernit illa, quæ enim eveniunt decrevit; & permittit illa, ſi enim non permitteret non evenirent; & dirigit illa ad finem ut liquet ex peccatis, Joſephi nimirum venditione, Chriſti crucifixione. Et finem ponit ne ulterius pergant peccatores quàm ille permittit, Joſephum enim vendere, non trucidare poterant: Judæi Chriſtum quidem trucidare poterant non autem frangere oſſa ejus.

VIII. **Permiſſio duplex eſt, Phyſica & Ethica, Ethica eſt conceſſio, Phyſica τὸ non impedire, quæ ſpectatur circa peccatum.**

IX. Phyſica conſiſtit vel in ſubtractione gratiæ Dei, vel in promotione ad agendum.

Aliqui anguſtè definiunt permiſſionem eſſe ſubtractionem gratiæ; Sed latiùs patet ut jam audiemus. Cæterum ſubtractio gratiæ vocatur etiam derelictio à Deo 2 Chron. 32. verſ. 31. *Dereliquit ipſum Jehova.* Promotio vero ſpectatur in peccato commiſſionis; niſi enim Deus commoveret creaturam peccatricem, non moveretur atque adeò non pecca-

peccaret, quemadmodum nisi quis claudum equum impellat ad cursum, ut non ambulabit, ita non claudicabit. Interim tamen sciendum est duo esse in peccato, ipsum motum & ἀταξίαν sive irregularitatem; motus Deus autor est sed non ἀταξίας.

X. Deus est causa cur peccatum existat, sed non cur sit.

Quemadmodum qui agit equum claudum causa est cur existat claudicatio, sed non cur sit; nam pes claudi equi est causa cur sit, ac proinde, pes equi est causa claudicationis: non vero ille qui impellit equum ad cursum. Ita etiam creatura est nutrix peccati; non Deus, quia creatura ipsa deficit in operando.

XI. Bonis nunquam malè, & malis nunquam benè fit in hac vita. Psal. 37. & 73.

Super hac re elegantem Historiam ad hoc probandum adfert *Bradwardinus de Causa Dei*: quæ sive vera, sive ficta, clare tamen rem ob oculis ponit. Erat, inquit, aliquis *Eremita*, qui cum crederet, malis benè & bonis malè fieri, fluctuare cœpit cum animo suo an Deus esset, & si esset an justus esset, cum res humanæ perverso planè ordine procederent. Ac proinde desertâ vitâ Eremiti-

miticâ, cœpit vagari per orbem terrarum. Dum ita agit, adjungit ſe ei angelus, in ſpecie viri, qui una cum ipſo peragrare provincias cœpit, venerunt itaque utérque ad quendam qui ipſos humaniter & accepit, & tractavit, huic media nocte ſurgens angelus, aufert ſcyphum aureum, & ita cum Eremita diſcedit. Venerunt poſtea ad quendam, qui illos etiam humaniter excepit, & humaniter habuit, angelus media nocte ſurgens cum Eremita, accedit ad cunas, & infantulum in iis ſuffocavit. Venerunt tertiò ad quendam qui illos ſub tectum recipere noluit, ſed ſub dio pernoctare ſivit, mane ergo facto, pulſat angelus fores & poculum illud aureum, quod abſtulerat viro illi bono, malo tradit, addens, hoc tibi do pro hoſpitio, quo nos excepiſti commodo; Ultimo pervenerunt ad quendam qui eos humaniſſimè habuit, angelus jam abiturus petit ab eodem, ut ſecum ſervum mittat, qui viam ipſis oſtenderet. Hoc facto, cum ad pontem deveniſſent qui ſtratus erat ſuper fluvium rapidum; Angelus accepto ſervo præcipitem eum egit in fluvium. Eremita his viſis atque perpenſis, jam inquit divortium à te faciam quia ſceleratus homo es, at verò angelus illi, expecta, inquit, dicam tibi quis ſim, & iſta quæ facta ſunt, juſſu Dei juſtè facta eſſe te edocebo.

Sum inquit angelus Dei miſſus ad te docen-

cendum multa, quæ videntur homini injuſta juſtiſſima eſſe & optima. Acceſſimus ad primum iſtum cui abſtuli poculum aureum, iſti viro in hoc profui, nam vir iſte timebat Deum antequam poculum hoc habuiſſet, poſtquam accepiſſet, inebriebatur in ſingulos dies, ergo miſit me Deus ut auferrem iſtud incitamentum ad ebrietatem, ne vir bonus periclitaretur de ſalute æterna? Iſti alteri inhumano cui dedi poculum, non profui hoc poculo, ſed nocui multum, nam poculo hoc invitatur ad vitium id, quod antea vir bonus exercebat, hoc eſt, ad potandum, propterea voluit ei Deus dare aliquid in hac vitâ, cum poſt hanc vitam nihil habiturus ſit. Cujus infantem interfeci, fuit vir liberalis in pauperes, antequam prole iſte beatus eſſet. At poſtquam natus illi eſſet infans, retraxit manus à pauperibus, Ergo ne & iſte in diſcrimine ſalutis propterea verſaretur verum ad priſtinam rediret liberalitatem, juſſu Dei infantem percuſſi. Quod famulum iſtum attinet quem miſerat nobiſcum dominus ad viam nobis monſtrandam, inſtituerat ſceleratus iſte hac nocte trucidare dominum & dominam cum liberis; quia autem Deus amat familiam iſtam, miſit me ut hoc malum præcaverem. Abi, inquit, & noli de Providentia divina, quia bonis malè, & malis benè fit, perversè judicare.

XII.

XII. In providentia divina fines nobis ſæpè ſunt occulti.

Certè multi occulti, & inde fit quod nos providentiam divinam potius adorare debemus, quam ſcutari.

XIII. Cum providentia Dei efficaci conſiſtit contingentia & libertas.

Quia lapſus paſſeris contingens eſt & tamen non fit ſine Dei providentia. Ita quod Rehoboam reſponſum dedit Senioribus minus gratum contingens fuit & tamen ratione Dei proviſum. 1 Reg. 12.15.

CAP. IX.

De Libero Arbitrio.

I. Liberum arbitrium aliter ſe habet in ſtatu integritatis, aliter in ſtatu lapſus, aliter in ſtatu reparationis, aliter in ſtatu glorificationis.

In integritate potuit homo ſtare & non ſtare; in ſtatu lapſus, non poterat non peccare, liberrimè tamen peccabat; in ſtatu reparationis pronus eſt partim ad bonum, partim ad malum, pro modulo ſcil. regenerationis; In ſtatu glorificationis, non poterit peccare. Explicatiùs hoc ipſum jam ſupra deductum eſt.

II. *Ho-*

II. Homo in ſtatu integritatis non poterat non labi in ſenſu compoſito, poterat non labi in ſenſu diviſo.

Diſputant de hoc Theologi, an homo poterat non labi in ſtatu integritatis, ſed diſtinctione tollitur difficultas. Nam ſi decretum Dei ſpectes, non poterat non labi homo, id eſt, neceſſariò lapſus eſt & hoc eſt hominem conſiderare *in ſenſu compoſito*. Si verò in ſe ipſo id eſt in ſenſu diviſo ſpectes hominem, prout aptus erat ad ſtandum vel cadendum, poterat vel labi vel non labi.

***III.* Libertas eſt vel contradictionis, vel contrarietatis.**

Contrarietatis eſt, quæ ſe habet ad bonum vel malum; Contradictionis eſt, quæ ſe habet ad unum idémque objectum vel acceptandum vel rejiciendum.

***IV.* Libertas alia eſt à jure, alia à miſeria, alia à coactione.**

A *jure* in ſolum Deum cadit, & inde dicitur eſſe abſolutæ poteſtatis. Libertas *à miſeria* cadebat in hominem in ſtatu integritatis, cadit in angelos bonos, cadet etiam in nos glorificatos.

A *coactione* cadit in omnem creaturam rationalem.

V. Quæ-

V. Quædam actiones liberæ ſunt, quædam invitæ.

Liberæ actiones ſunt quando quis libenter agit. Invitæ quando invitus: verbi gratia, ſi quis à latrone cogatur bona ſua tradere, ſi quis in mare ad elevandam navem, cogatur merces ejicere.

VI. Voluntas cogi non poteſt.

Si enim cogeretur, vel quod vellet nollet, vel quod nollet vellet. Et ſic voluntas eſſet noluntas.

VII. Voluntas ſemper fertur in bonum ſub ratione boni.

Sed bonum duplex eſt, *verum* vel *apparens*, nam ſæpè videtur bonum intellectui quod malum aliàs eſt, & in illud fertur voluntas ſub ſpecie veri.

VIII. Voluntas ſequitur intellectum.

Nam ſi non ſequatur ductum intellectus, tum vel fertur in ignotum, quod eſt contra naturam, quia ignoti nulla cupido; vel fertur in malum ſub ratione mali, quod etiam erit contra naturam, nam quodlibet ſeipſum amat inſtinctu naturali.

IX. Vo-

IX Voluntatis actiones multiplices ſunt, & non ejuſdem.

Hæc regula eſt Ethica, ſed quæ uſum magnum habet in Theologia. Dantur enim actiones quædam *elicitæ*, quædam *imperatæ*. Elicitæ ſunt internæ, ut amare, odiſſe. Imperatæ ſunt quæ jam extra ſubjectum ſunt, ut amplecti, rejicere.

Cap. X.

De Peccato.

I. Peccatum eſt vel originale vel actuale.

Originale eſt in quo & cum quo naſcimur, quod incipit eo ipſo momento quo incipimus fieri homines.

II. Originale peccatum vel imputatum eſt vel inhærens.

Imputatum eſt defectio Adami nobis à Deo imputata, ac ſi à nobiſmet ipſis eſſet commiſſa, ac ea propter æquè rei habemur. Inhærens eſt depravatio naturæ noſtræ atque inclinatio ad omne malum, ex imputato peccato ortum, tanquam ex matrice trahens, quo peccato inhærente Deus illud prius imputatum in nobis punit. At contra imputationem peccati inferri poteſt, nos ipſos in Adamo

Adamo peccaſſe, adeoque imputatione non opus eſſe. *In quo peccavimus*, inquit, Apoſtolus Rom. 5. 12. *Reſp.* illud *in quo* non *ſubjectivè* ſed *Cauſaliter* accipiendum eſſe. Ita nimirum quemadmodum in Adamo dicimur mortui. Atqui hoc ineptum eſſet *ſubjectivè* explicare; quia mortui fuiſſemus priuſquam nati. Ergo mortui ſumus in Adamo explicandum eſt, morimur quia per Adamum mors ingreſſa eſt in mundum. Sic etiam illud, *in quo omnes peccarunt.* Omnes peccamus, quia nos Adam peccare fecit, ſive ipſius causâ peccamus, quia ille peccavit.

III. Imputatur autem non tantùm Adami ſed & Evæ peccatum.

Probatur hoc ex pœna mulieri inflicta. Gen. 3. verſ. 16. quæ omnibus mulieribus infligi non potuiſſet, ſi illis Evæ peccatum non fuiſſet imputatum. Scharpius & alii contrarium probant ex Rom. 5. *Unius offenſa*, &c. *Reſp.* Illud eodem modo explicari debere, quo maritus & uxor dicuntur unum corpus, & vir uxoris caput. Proinde Adamus ibi conſideratur ut caput, non tamen excluditur Eva tanquam altera illius pars.

IV. Imputatio non eſt actus Phyſicus ſed moralis.

Proinde non requiritur ut objectum ſit præſens, ſed tantum ut ſit certo futurum.

Ita-

Itaque dicimus, propagatione naturali imputari omnibus ex Adamo naſcituris peccatum; ſicuti ex pacto Dei juſtitia Chriſti imputatur omnibus in eum credituris.

V. Dum dictum eſt, morte morieris, quadruplicem mortem Deus intellexit.

Mortem temporariam; mortem ſpiritualem peccati; mortem calamitatum; mortem denique æternam. Ad dictam, *inquies*, quo die comederis morte morieris, unde videtur ſequi non poſſe hanc comminationem verificari de morte temporaria, atque æterna. (De reliquis quippe duabus mortis ſpeciebus nulla lis eſt, eo ipſo ſiquidem die primus homo mortuus eſt ſpiritualiter morte peccati, morte etiam calamitatum, quandoquidem ab eo ipſo momento morbis, laboribus &c. fuit ſubjectus.) Non enim Adamus eo die quo comedit de fructu vetito vel morte temporaria vel æterna mortuus eſt. *Reſp.* Phraſis illa; *quo die comederis, morte morieris*, explicanda eſt, per obnoxius fies morti; reus fies mortis, in mortis temporariæ & æternæ poteſtatem devenies, quæ etſi tibi ad tempus parcent, tamen certò certius te manebunt, different non auferent juris ſui exercitium, atque poteſtatis.

VI. Videtur peccatum Originale non

non tantùm imputatum, ſed etiam inhærens.

Tres obſervantur actus in generatione hominis, conceptio, formatio, nativitas. In omnibus his jam peccatum præſtò eſt. De prioribus duobus clariſſima ſunt verba Davidis Pſal. 51.7 de ultimo. Eph. 1.3.

VII. Peccatum originale inhærens pœna eſt peccati imputati.

Nam Deus propter peccatum morte ſpirituali afficit, quæ etiam continetur in comminatione illa, *morte morieris*; quæ mors ſita eſt in privatione imaginis divinæ, & perverſitate naturæ.

VIII. Peccati hujus duæ ſunt partes, altera poſitiva, altera privativa.

Theologi dicunt poſteriorem iſtius peccati partem privativam ſcil. efferri in ſcriptura dum dicitur: quod homo non ſit capax eorum quæ ſunt ſpiritus Dei; quod non ſubjiciatur legi Dei; quod non poſſit benefacere. Jer. 13.23. Poſitivam verò cum homo dicitur ad malum ferri omni die Gen. 6. dicitur autem hæc qualitas poſitiva, non *Ethicè*, eſſet enim bonum quid, virtus; nec *Phyſicè*, quia & ſic boni quid eſſet. Sed *Logicè*, quia hoc de homine affirmatur, quod talis ſit.

IX. Pec-

IX. Peccatum Originale omnium actualium cauſa eſt.

Cur ergo, inquis; actualia peccata non in omnibus æqualia? hic altero magis ad peccatum pronus, nec pronus tantum, ſed & peccat alter altero magis? *Reſp.* 1. ratione regenitorum, quia mortificatio veteris hominis in iis inæqualis. 2. Ratione irregenitorum, unum altero magis gratiâ Dei, quam Theologi *coercitionis* vocant, inhiberi ne præceps in omne ſcelus ruat. Cum ergo unus altero magis à Deo coerceatur, non mirum eſt, dari grados ſceleratorum.

X. Peccatum Originale omnium graviſſimum eſt, cum ex illo actualia fluant.

Maximum eſt *extenſivè*; non *intenſivè*; Nam peccatum in Spir. Sanct. eſt maximum intenſivè.

XI. Peccatum actuale, (quod eſt omnis actus legi Dei repugnans) eſt vel per ſe, vel per accidens.

Peccatum *per accidens* eſt omne opus quod lex prohibet ſi fiat abſque fide. Talia ſunt opera gentilium, quæ alioqui cum materiali legis conveniunt. Peccatum per ſe eſt omne opus Dei prohibitum.

XII. Pec-

XII. Peccatum per ſe diſtinguitur vel ex objecto, vel ex accidenti, vel ex gradibus.

Ex objecto aliud eſt *omiſſionis*, quod committitur contra præcepta affirmativa; aliud *commiſſionis*, quod contra negativa committitur præcepta. Ex accidenti, aliud *regnans* eſt, cum auſcultamus peccato. Rom. 6. aliud *non regnans*, cum carnem crucifigimus cum ejus concupiſcentiis. Gal. 5. *Illud* in irregenitos tantum cadit. *Hoc* etiam in regenitos. Ex gradibus, aliud eſt peccatum *per ignorantiam*, aliud quod *ſcienter* & ultrò committitur. Poſterius priore gravius eſt. Prius *à tanto*, non *à toto* excuſat. Ex gradibus etiam peccatum aliud eſt quod committitur *in legem Dei in genere*, aliud quod *in doctrinam Euangelii cognitum in ſpecie*. Poſterius priore graviùs eſt. Utut enim prius quandoque imò ſemper in electis remittatur; poſterius tamen nunquam, & vocatur peccatum in Spiritum ſanctum.

XIII. Peccatum gradus ſuos habet.

Vulgo recenſentur quatuor. 1. Deliberatio. 2. Propoſitum peccandi. 3. Factum ipſum. 4. In facto ſibi complacere. Hi gradus ita ſe habent ut poſterior gravior ſit priore. Addunt aliqui quintum, gloriationem

nem ſcilicet, quod peccatum non humanum, ſed diabolicum eſt.

XIV. Peccatum non tantùm in voluntatem cadit, ſed etiam in intellectum.

Sunt aliqui ex Theologis qui putant non cadere peccatum, niſi in voluntatem. At ineptè. Nam error mentis etiam peccatum eſt, at hic eſt in intellectu. 2. Deliberatio intellectûs eſt; at deliberatio de eo quod eſt prohibitum, ne facias, eſt primus peccati gradus; accedit quod homo totus, quantus quantus eſt, regignitur, unde etiam non tantum voluntas, ſed etiam intellectus regignitur, quod utiq; futurum non eſſet, ſi peccatum in intellectum non caderet.

Obj. Omne peccatum debet eſſe voluntarium, quod autem eſt in intellectu non eſt voluntarium, quia intellectus præcedit voluntatem. Ergo. *Reſp.* Majorem falſam eſſe, nam quædam ſunt quæ etiam per ignorantiam committuntur. Num. 6. Gen. 26. & hæc non poſſunt dici voluntaria, & tamen ſunt peccata. 2. Dicimus voluntarium dupliciter dici, vel terminativè, vel efficienter; priori modo peccata poſſunt dici voluntaria, ratione voluntatis, à qua determinantur; poſteriori, ratione intellectus, à quo prima dubitatio procedit.

XV. Pec.

XV. Peccatum aliud fit ex ignorantiâ, aliud quod ſcienter committitur.

Ex ignorantiâ dupliciter committitur peccatum, vel quando ignoratur, quod ſit peccatum in *Theſi* vel in *hypotheſi*, hoc eſt, quando ignoratur an liceat furari, an ſcortari, necne; vel quando committitur ex ignorantia in hypotheſi, hoc eſt, quando in genere ſcio non eſſe furandum, ſed puto mihi conducere ut furer; & hæc ignorantia quæ eſt ex hypotheſi peccatum eſt, quando à ſciente committitur. Prior excuſat *à tanto* non *à toto*.

XVI. In Peccato commiſſionis diſtinguendus eſt motus & defectus motûs.

Solent Theologi dicere, diſtinguendum eſſe materiale in peccato commiſſionis à formali. Materiale bonum eſt, eſt enim motus. At formale ſive defectus & deformitas (nam utroque nomine indigitatur) mala eſt.

XVII. Peccatum omiſſionis refertur ad peccatum actuale, non quod actu ſit, (eſt enim omiſſio actionis debitæ) ſed quod tanquam privatio referatur ad ſuum habitum, & ille ad actionem.

Benè

Benè hoc animadvertendum, nam digladiantur de hoc multi: quomodo hoc peccatum ad actuale referri poſſit, cum ſit potius actionis omiſſio.

XVIII. Peccatum aliud eſt in Deum, aliud in proximum. Matth. 18. 15.

Verum quidem eſt, omne peccatum in Deum committi, atque adeò nullum peccatum poteſt dici, quod non in Deum committatur: verum hæc diſtinctio non fundatur in eo, quod omne peccatum non ſit contra Deum, ſed in hoc, quod non omne contra Deum immediatè committatur, quædam enim, mediante proximo. Hinc etiam, quia omne peccatum in Deum committitur, ſive illud immediatum ſit ſive mediatum, nemo etiam peccata authoritativè remittere poteſt; eſt enim id jus ſolius Dei, in quod nemo involare nec poteſt nec debet. Quod verò nos dicimur remittere proximo, id non de *culpâ* intelligendum eſt, ſed de *noxâ* tantùm, ſive de injuriâ quæ in nos per peccatum proximi commiſſa eſt.

XIX. Peccatum aliud eſt regnans, aliud non regnans. Rom. 6.

Poſterius cadit etiam in regenitos, prius autem non, ſed in ſolos irregenitos.

Obj. Rom. 7. Mente ſervio legi peccati, quod Paulus dicit de regenitis. *Reſp.* Aliud eſt ſervire *coactè*, aliud *ultrò*: peccatum non in iis regnat, qui ſerviunt coacti, ſed qui ſerviunt ultrò.

XX. Aliud eſt peccatum in ſe, aliud in alium.

Peccatum in ſe graviſſimum eſt, ut liquet 1 Cor. 5. & 6. Et ratio eſt, quia nobis ipſis debemus gradum maximum amoris, ſi ergo in nos ipſos peccemus, maximè peccamus.

XXI. Peccatum aliud eſt quod committitur ex infirmitate, aliud quod ex pleno appetitu.

Diſtinctionem hanc rident Arminiani, & dicunt; an non ſceleratus etiam peccat ex infirmitate, cum peccat, quia natura ipſius non poteſt bonum? *Reſp.* Non. Nam dicimus eos ex infirmitate peccare, qui viribus quidem reſiſtunt peccatis, ſed viribus imperfectis, undè fit ut labantur; tamen quia ſciunt quid ipſorum ſit officium, quia à Sp. ſancto regenerantur, dolent ob admiſſa peccata. Illi verò non poſſunt dici infirmi, qui planè mortui ſunt in peccatis, ſed illi qui vivunt vitâ ſpirituali, quod in ſceleratos non quadrat.

XXII. Graviùs peccant fideles, quam infideles.

1. Quia

1. Quia cognitionem majorem habent. 2. Quia habent vires reſiſtendi, etiamſi imperfectas, hi verò nullas. Vicißim gravius peccant infideles. 1. Quia illi pleno appetitu feruntur in peccata, fideles autem fracta voluntate. 2. Fideles dolent ob admiſſa peccata, hi verò ſibi placent ob commiſſa peccata.

XXIII. Illuminatio duplex eſt, convincens in tantum ut quis convincatur, & talis cadit in irregenitos; & Perſuadens quâ quis gratia afficitur ut ipſi perſuadeatur, & hæc ſola eſt Fidelium. De prima agitur, Heb. 6.

XXIV. Peccatum in hac vitâ tollitur in fidelibus. 1. ut ex parte non ſit. 2. ut planè non imputetur.

Sunt ergo peccata in fidelibus, ſed non imputantur.

XXV. Peccatũ nullum datur veniale, ſed omne ſuâ naturâ mortale eſt.

Ex eventu quædam ſunt venialia, quæ remittuntur propter gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti.

XXVI. In peccato eſt averſio à bono, & converſio ad malum.

Nam in omni peccato avertit ſe homo à

Deo, ad creaturam, ſive ad uſum creaturæ illicitum.

XXVII. Peccatum Adæ non ineſt nobis inhærenter.

Quia eſt actus tranſiens: nobis autem imputatur.

XXVIII. Qui peccat in uno omnium eſt reus.

Regula Scripturæ, cujus intellectus paulò obſcurior. Sciendum ergo eſt, reum teneri omnium, non quod pœnam eam laturus ſit, quæ ſit adæquata omnibus iſtis, ſed pœnam laturus ſit talem, quam ferunt ob ſingula iſta peccatores, videlicet mortem æternam. Clariùs, meretur talis maledictus pœnam æternam, ſed non eoo gradu, quo is, qui contra multa deliquit.

XXIX. Peccati locus eſt in hac vitâ.

Quærunt aliqui; an poſt hanc vitam in inferno improbi peccent; aliqui affirmant, ſed ſcholaſtici negant. 1. Quia lex nulla in inferno erit, ubi autem nulla lex ibi nulla tranſgreſſio. 2. Etiamſi lex eſſet, non tamen futurum eſſe peccatum, quia omnes facultates hominum ita erunt defixæ ad pœnas, quas perferent, ut non ſit occaſio aut locus peccandi ipſis.

XXX. Peccatum afficit hominem morte æternâ, non efficienter, ſed meritoriè.

Hoc eſt, peccatum eſt cauſa meritoria, ſed ipſum non infligit, ſed Deus propter hoc; itaque Deus infliƈturus eſt pœnam peccatoribus propter peccata, & merita ipſorum.

XXXI. Deus peccata non poteſt non odiſſe.

Pugnat enim cum natura Dei, nim. ſanƈtitate, ut Joſuæ 24. Deus fortis ſanƈtus eſt, non fecit defeƈtionem veſtram. Habac. 1. Purior eſt oculus ejus quam ut videat malum.

XXXII. Peccatum meretur ex eo, quia eſt in debitum, infinitam autem pœnam, quia in infinitum Deum committitur.

Scholaſtici ſolent vocare in malo demeritum, ita ut dicant demeritum eſſe, quia quò quid bonum magis eſt, eò magis meretur amari; majus ergo peccatum committitur, quanto melius eſt ſubieƈtum in quod committitur. At cum bonum infinitum; reatus quoque infinitus indè emergit.

XXXIII. Conſequens peccati eſt vel *reatus*, vel *pœna*, vel *macula*.

Reatus eſt meritum, ut perſona quæ pec-

cavit punitur, Deut. 27. *Maledictus* &c. qui reatus in fidelibus tollitur. Rom. 8. 1. At *inquis*, ubi peccatum ibi reatus. In fidelibus eſt peccatum. Ergo reatus. *Reſp.* Ubi eſt peccatum, quod imputatur, ibi reatus. Atque ſic negatur Minor. quia utut ſit in fidelibus peccatum, tamen iis non imputatur; quia Chriſtus pro iis eſt peccatum factus. 2. Cor. 5.

XXXV. Aliud eſt pœna, aliud eſt caſtigatio.

Caſtigatio enim ſemper à Deo tanquam Patre amante proficiſcitur, & in bonum ejus, qui caſtigatur vergit. Pœna verò ab irato Deo & judice in malum ejus qui punitur. *Illa* eſt virga in manibus Dei patris, filios ſuos quos diligit, bono eorum, caſtigantis. *Hæc* eſt ſceptrum ferreum, malo eorum, tanquam ollam fictilem conterentis.

XXXV. Malum culpæ majus eſt malo pœnæ.

Ideo homini quidvis potiùs agendum eſſet, priuſquam peccato ſeſe coinquinaret, priuſquam minimam culpam admitteret.

XXXVI. Miniſtri remittunt peccata *miniſterialiter* & *declarativè*, non *authoritativè*.

Quia habent tantùm clavem miniſterialem, non herilem, quæ ſolius Chriſti eſt.

A D-

Additum.

Quæritur : Cum Deus homini qui peccavit mortem minatus sit, annon mutaverit sententiam, dum Christum vice eius punivit, qui vice Adami & fidelium mortem sustinuit.

Resp. Deus sententiam nunquam mutat, etsi videatur contrarium facere rei quam prædixerat se facturum ; quia quod tali casu prædixit, conditionatum erat, etsi conditionem reticuerit. Exemplum in Ninivitis. Alii dicunt Deum non omnia dixisse illâ comminatione, *morte morieris*, sed quædam quæ facturus erat reticuisse eum, quod ex eventu patuit. Verbi gratia, in hunc sensum ; *quo die comederis, morieris* ; hoc prolatum fuit, tacitum verò, *aut in propriâ personâ aut in persona Redemptoris.* Huic responsioni Martyris adstipulamur.

Cap. XI.

De Persona Christi.

I. ALiud est *totus Christus*, aliud *totum Christi.*

Usus hujus est in hoc, 1. Quod totus Christus dicitur esse ubique, non autem totum Christi. 2. Quia totus Christus à nobis

bis adorari dicitur, non totum Christi, hoc est humani naturam.

II. Aliud est in Christo *humana*, aliud *divina* natura.

III. Christus mediator est ratione divinæ naturæ *efficienter*, ratione humanæ *meritoriè*.

Usus hujus maximus est, dicitur Christus vivificare, resuscitare, Sp. Sanct. mittere; at hic semper distinguendum est inter efficienter mediatorem & meritoriè.

IV. Aliud est objectum *adorationis*, aliud *considerationis* in adoratione.

Quæritur. Quoddam sit objectum cultus religiosi, dicimus *formale objectum* esse Deum; at verò objectum *considerationis* in hoc ipso cultu, est humana Christi natura & officium mediatorium, hoc est, Deum quidem adorari & invocari à nobis, sed causam meritoriam istius, cur adoramus eum, aut adorare possimus, esse penes Christum mediatorem, & humanam naturam, juxta illud Dan. 9. *Domine exaudi nos propter dominum*.

V. Aliud est *concretum*, aliud *abstractum* in doctrina de persona Christi.

Hic

Hîc aliter ſumitur abſtractum & concretum ac in Logicis. Nam per *concretum* hoc intelligitur *perſona*, per *abſtractum natura*. Tenendæ autem ſunt quædam regulæ ad hanc diſtinctionem, ex quibus benè intelligitur. 1. Perſona denominatur ab alterutrâ naturâ in concreto, ut homo Chriſtus, non ſignificat humanitatem tantum, ſed totam perſonam, humanam ſcilicet & divinam naturam. Chriſtus Deus non ſignificat deitatem tantum, ſed Chriſtum Deum & hominem. 2 Abſtracta efferentur vel *abſolutè*, ut humanitas Chriſti, divinitas Chriſti, vel *limitatè*. Verbi gratia, Chriſtus homo, quatenus homo, Chriſtus Deus, quatenus Deus.

VI. Communicatio proprietatum alia eſt *verbalis*, alia *realis*.

Realis eſt in *concreto*, verbalis in *abſtracto*. hoc eſt, quod tribuitur naturæ alterutri, hoc tribuitur toti perſonæ in concreto *realiter*, at verò ratione naturæ à qua denominatur concretum, tantummodò *verbaliter*. Verbi gratia: Cum Deus dicitur proprio ſanguine redemiſſe Eccleſiam, de perſonâ Chriſti hoc dicitur in concreto realiter. At verò verbaliter, de natura à qua perſona denominatur. Ita Joh. 3. *Nemo aſcendit in cælum* &c. Dicitur realiter de perſona hac quæ eſt filius hominis, quod ſit in cœlo

& in terra. At verò verbaliter tantùm de humana natura, quæ ubique non eſt.

VII. Alia eſt communicatio *tranſitiva*, alia *intranſitiva*.

Lutherani perpetuò objiciunt, eodem modo divinam naturam communicaſſe proprietates ſuas humanæ, quomodo ſe ipſam communicavit. *Reſp.* Divinam naturam intranſitivè ſe communicaſſe naturæ humanæ, hoc eſt, ut divina naturâ maneat divina; humana, humana; per iſtam enim communicationem humana Chriſti natura non eſt Deificata.

VIII. Aliud eſt *potentia*, aliud *poteſtas* in Chriſto.

Lutherani idem argumentantur: Chriſto data eſt *omnis poteſtas*, ergo & *omnipotentia*. Sed inepte; Nam *poteſtas* aliud eſt quam *potentia*, poteſtas enim eſt ἐξουσία Græcis. At verò potentia Græcis eſt δύναμις, prius notat *officium*, poſterius *vim*, *robur*; ita ut in diverſis etiam ſint prædicamentis. Nam poteſtas eſt in relatione, potentia autem in qualitate; nim. in ſecunda ſpecie, potentia naturali. At *Objicit*: Chriſto data eſt δύναμις, κράτος ut Apoc. 5. 14. & 7. 12. *Reſpond.* eſſe metonymiam Antecedentis & Conſequentis adeo ut ponatur antecedens, & conſequens intelligitur. Dicitur ergo robur tradi,

tradi, quia cognoscitur ipsi traditum, antecedens pro consequente. Quemadmodum *Joh.* 17. *glorifica me eâ gloriâ quam* habui, antecedens ponitur, & consequens intelligitur, nam hîc nihil aliud intelligitur quam manifestatio gloriæ.

IX. Aliud est in Christo *Persona*, aliud adjunctum ἐνυπόστατον.

Persona est sola divina natura; Non enim sentiendum est personam Christi quasi conflari ex humanâ & divinâ naturâ, ac quasi ex partibus constitui; sed quod divina natura sit sola persona, quæ in suam personalitatem assumpsit humanam naturam; humana verò natura est adjunctum ἐνυπόστατον.

X. Aliud est Prophetam esse Dominum, aliud simpliciter esse prophetam.

Christus est propheta *dominus*, nemo reliquorum prophetarum est propheta *Dominus*. sed minister ac famulus, Prophetæ Domini in obliquo casu, non Domini in recto, sunt omnes Prophetæ. Heb. 3. 5, 6.

XI. Aliud est *immediatè* docere, aliud *mediatè*.

Christus in carne exhibitus docuit immediatè externè, sed mediatè docuit ab initio mundi. Hinc 1 Petr. Spiritus Christi dicit-

dicitur fuiſſe in prophetis. At hinc dicitur Chriſtus prædicaſſe temporibus Noë per Spiritum Suum. 1 Pet. 3.

XII. Aliud eſt *internè* docere, aliud *externè*.

Chriſtus ſuòs fideles internè docuit indè ab initio mundi. Et hoc ſolius Dei eſt. Externè etiam infideles docentur, etiam ab infideli Mercenario.

XIII. Illuminare omnes homines dupliciter dicitur; vel illuminare omnes ſingulos, ſic Chriſtus non illuminat ſingulos, vel illuminare eos qui illuminantur.

Dantur enim tales propoſitiones in ſcriptura, quorum ſubjectum limitandum eſt per ſuum prædicatum, verbi gratia. Pſal. 145. 14. *Deus ſuffulcit omnes cadentes & erigit omnes incurvatos*. Hic certè non omnes ſinguli cadentes & incurvati à domino dicuntur ſuffulciri & erigi, quot enim ſunt, qui cadentes non ſuffulciuntur? incurvati qui non eriguntur? ſaltem de iis non procedit hoc pronunciatum, de quibus Pſal. 36. 13. *Ceciderunt operarii iniquitatis, & non potuerunt ſurgere*. Senſus ergò eſt. Deum erigere omnes lapſos qui ſcilicet eriguntur, nemo enim erigitur niſi à Deo, ut dicitur

Pſal.

Psal. 37. 24. *Cum ceciderit* justus, non *proculcabitur, quia* Dominus sustentat *manum ejus*. Sic etiam Christus illuminat omnem hominem venientem in mundum. Id si de omnibus singulis accipias; etiam *naturaliter* non procedit, quia dantur cæci nati. Joh. 9. qui nunquam illuminati fuêre. Multo minus *spiritualiter*, cum ne externa quidem media illuminationis omnibus singulis à Deo concedantur. Ergo illuminat omnes *qui illuminantur*; quia nemo qui illuminatus est, cuipiam illuminationem acceptam ferre potest, præterquam soli Deo.

XIV. *Aliud est in Christo satisfactio*, aliud *meritum*.

Satisfactio respondet debito pœnæ, undè per satisfactionem liberamur à pœnâ, per meritum, respondens officio debiti, acquirimus jus vitæ æternæ. Satisfactio facta est morte; meritum autem sanctâ vitâ ejus.

XV. Dicitur Christus liberare seu redimere vel *propriè*, vel *impropriè*.

Impropriè dum simpliciter liberat sine interventu pretii. 2. Petr. 2. Abnegantes Dominum qui ipsos *mercatus* est aliquando; vel propriè interventu pretii, ita Christus redemit oves suas. Joh. 10. pro quibus dicit se ponere vitam suam.

XVI. Ali-

XVI. Aliter nos morimur pro fratribus, aliter Chriſtus pro nobis,

Phraſis iſta eſt 1 Joh. 3. Aliter autem nos mori quoad finem principalem liquet, nos enim non morimur pro fratribus in remiſſionem peccatorum, ſicut Chriſtus pro nobis mortuus eſt, ſed in talem finem ut 2 Cor. 1. 6, 7.

XVII. Aliud eſt adimplere paſſionibus Chriſti quod illis deeſt pro *eccleſiâ ædificandâ*, aliud pro *redimendâ*.

Locus habetur Col. 1. 24. Solent autem hoc loco abuti Pontificii, ſed ſi quæramus quomodo Paulus dicat ſe adimplere paſſiones Chriſti, an pro ædificandâ, an verò pro redimenda eccleſia, tum hærent.

XVIII. Diſtinctio quâ Chriſtus dicitur mortuus *ſufficienter* non *efficaciter*, vaniſſima eſt.

Nam ſi dicitur propterea ſufficienter mori, quia mors ſufficiſſet omnibus redimendis, ſi Deo viſum fuiſſet eam pro iis fieri, tum certè pari ratione poſſet dici, Chriſtum juſtificaſſe ſufficienter omnes & ſingulos, ſed non efficaciter; item glorificaſſe omnes & ſingulos, ſed non efficaciter.

XIX. Interceſſio quâ Chriſtus

pro

pro nobis intercedit non eſt *formalis*, ſed *objectiva*.

Hoc eſt, non erat ampliùs pro nobis Chriſtus, ut Joh. 17. provolutus quaſi ad pedes Patris, adeo ut nihil aliud ſit ipſius interceſſio, quam ſui ipſius coram facie Dei præſentatio.

XX. Aliud eſt debitum *officii*, aliud *pœnæ*.

Debitum pœnæ tollitur per mortem Chriſti, debitum officii impletione legis.

XXI. Satisfactio Chriſti non eſt juſtitia, etiamſi imputatur ad juſtificationem.

Juſtitia non eſt, quia eſt ſatisfactio; imputatur tamen ad juſtificationem; quia propter eam homo à peccatis abſolvitur.

XXII. Aliud eſt luere pœnam, aliud implere legem.

Adverſarii *Obj.* Quia Chriſtus expiavit peccata noſtra, tàm commiſſionis, quam omiſſionis, quod propterea debemus cenſeri pro iis, ac ſi legem ipſimet implevi ſſemus. Sed falſum hoc. Nam ſi quis propterea, quod ſcortatus eſt, virgis cæſus ſit, non tamen proinde habetur ac ille qui à ſcortatione abſtinuit; Nam ſi res ita habeat tum non eſſet

ampl.us

ampliùs infamis ille qui virgis cæſus eſt, ſed haberetur eodem loco quo ille qui nunquam eſt ſcortatus.

XXIII. Homo poſt lapſum tenetur ad pœnam & ad obedientiam.

Catech. noſtra tractat hanc quæſtionem: & dicit quod homo obligetur vel ad pœnam vel ad obedientiam; quod quidem ut intelligatur ſciendum eſt, non poſſe reſponderi commodè ad quæſtionem hanc, niſi diſtinguendo ſtatum hominum, Eſt enim alius ſtatus *ante lapſum*; & in hoc tenebatur tantùm ad obedientiam; *In ſtatu verò lapſus* ante regenerationem homo tenebatur ad utrumque; ad pœnam propter præcedens peccatum, ad obedientiam, ut non peccaret. Quod ſi autem non obligaretur ampliùs ad obedientiam, etiam non ampliùs peccaret; atqui homines peccatores dicuntur peccata peccatis cumulare. Implete, inquit Chriſtus, menſuram patrum. Matt. 24. Tertius ſtatus eſt *poſt regenerationem*, & in hoc ſtatu tenetur homo obedientiam, non ad pœnam; quia *nulla condemnatio iis eſt qui ſunt in Chriſto Jeſu.* Rom. 8. 1.

XXIV. Sola obedientia activa eſt noſtra juſtitia.

Dupliciter obedientia diſtinguitur à Theol. in activam & paſſivam. *Paſſiva* eſt, quâ Chri-

Christus satisfecit comminationibus legis pro nobis, hoc est, factus est execratio pro nobis, quæ & *satisfactio* vocatur. *Activa* est, quâ perfectè legem implevit, & vocatur *meritum*, & hæc dicitur justitia nostra.

XXV. Consummat Christus suos passione suâ à *peccatis absolvendo*, non verò justos constituendo.

Heb. 10. legitur, quod Christus unicâ oblatione consummaverit eos qui consummantur. Hinc adversarii inferunt, ergo sunt perfecti. *Resp.* Certè quoad absolutionem à reatu, non verò quoad hoc quod justitiam perfectam habeant. Nam Justitia perfecta est justitia imputata Christi, quam ille præstitit legi, sanctè vivendo.

XXVI. Christus est rex jure *creationis* & *redemptionis*.

Alii ita. Regnum Christi duplex est, aliud *essentiale* aliud *mediatorium*.

XXVII. Christus est *naturale* caput ecclesiæ, politicum verò angelorum bonorum, malorum & reproborum.

Distinctio hæc benè observanda. Præpotest enim eum Deus omnibus, sed alio atque alio modo. Ecclesiæ tanquam caput naturale, ex quo per commissuras certas defluit

fluit vis in membra. Eph. 4. dicitur naturale, non quod propriè naturale ſit, ſed quod ſimilitudinem gerat cum corpore naturali. Et politicum, non quod ſit, ſed quod ſimilitudinem gerat cum politico.

XXVIII. Regnum Chriſti aliud eſt gratiæ, aliud gloriæ.

Gratiæ dicitur eccleſiæ in hac vi â: Gloriæ dicitur eccleſiæ in cœlis.

XXIX. Regnum Chriſti eſt æternum & tamen ceſſabit.

Videtur contradictio quædam inter Lucam & Paulum, Lucas enim dicit cap. 1. Regni ejus non erit finis. Paulus 1 Cor. 15. quod regnum tandem traditurus ſit patri; atque adeò finem futurum. *Reſp.* Apud Lucam loqui de regno *eſſentiali*, quod Chriſti eſt jure creationis, Paulum de *regno mediatorio*, ſive de modo adminiſtrandi hoc regnum; qui modus adminiſtrandi conſiſtit in externo miniſterio.

XXX. Judicabit Chriſtum aliter ſecundum divinam, aliter ſecundum humanam naturam.

Secundum divinam naturam cognoſcendo peccata, ſecundum humanam, ſententiam pronunciando & judicia Dei approbando.

XXXI.

XXXI. *Christus Rex* adoratur cultu religioso, sed non *quatenus Rex* & mediator.

Hoc est, non quatenus mediator est ; alioqui humana Christi natura etiam esset adoranda. *Obj.* es Apoc. 4. Dignus es ut accipias gloriam quia mactatus es. *Resp. Quia & quatenus* in Theologia non reciprocantur. Nam mittitur Spiritus Sanctus nobis, non *quatenus* est mortuus Christus, sed quia mortuus est, non enim potest mitti à creaturâ. Remittuntur nobis peccata quia Christus mortuus est, non verò quatenus mortuus est. Distinguimus hic inter *objectum formale*, ut supra. Objectum considerationis cultûs est natura humana & officium mediatorium, objectum formale est ipsa natura divina.

XXXII. *Inæqualitas officii non tollit æqualitatem naturæ.*

Hæc regula etiam certa in humanis. Nam Petrus, qui reliquis Apostolis parerat, aut etiam superior, (si credere fas est superior) ille à reliquis Apostolis missus fuit in Samariam. Act. 8. 14.

XXXIII. Christus est mediator hominum tantùm.

1 Tim. 2. 5. Ibi dicitur, quod Christus sit mediator Dei & hominum; hoc facit contra

eos qui ſtatuunt Chriſtum etiam angelorum mediatorem eſſe; ſed ineptè, angeli etiam non peccarunt ut reconciliatione opus haberent, ſed homines duntaxat. Unde etiam Sp. Sanctus Chriſtum dicit mediatorem eorum, quorum naturam aſſumpſit.

XXXIV. Chriſtus in ſtatu exinanitionis ſeipſum exinanivit.

Sunt gradus ſtatûs Chriſti exinanitionis & exaltationis. *Quæritur.* In quo conſtiterit iſta exinanitio. *Reſp.* In duobus. 1. In aſſumptione formæ ſervi, de quo Phil. 2. In occultatione naturæ divinæ, occultatione dico, quia natura divina non ita in Chriſti carne manifeſta erat ut poſtmodum.

XXXV. Quæcunque Chriſto dicuntur data in tempore, dantur ratione utriuſque naturæ.

Lutherani hoc negant, & dicunt, data ſunt humanæ naturæ, quia divinæ nihil dari poteſt. *Reſp.* Falſum hoc, ſi ſimpliciter ſumatur, annon Matt. 22. Dicitur, Date Cæſari quæ ſunt Cæſaris & Deo Dei? & Apoc. 14. Date Deo gloriam, qui fecit cœlum & terram. At *dices*, habet omnia, ergo nulla re eget. *Reſp* ita eſt, nec hæc ipſi dantur, quin prius ab ipſo iſta obtineamus, & non dantur quin iterum in noſtri commodum referantur ab ipſo.

XXXVI.

XXXVI. In Christo habitat omnis plentitudo divinitatis.

Coloſ. 2. 9. Cæterùm *quæritur*: quomodo habitet in illo? *Reſp.* Per unionem Hypoſtaticam, quâ ſcil. humana Chriſti natura aſſumpta eſt in unionem τῦ λόγυ. 2. Non *typicè* ſed *verè* & *realiter*, confer verſum 17.

XXXVIII. Divini Chriſti natura ubique eſt.

Hoc probè tenendum contra Lutheranos. ſciendum eſt triplicem eſſe præſentiam, 1. *Generalem*, quâ eadem omnibus creaturis, eas conſervando, regendo, adeſt. 2. *Specialem*, quâ adeſt electis, illos conſervando, & illis dona Spiritualia ſuppeditando. 3. *Specialiſſimam* præſentiam ſcilicet, *per unionem*, & ita adeſt Chriſto homini. Diſtingui ita ſolet à Theolog. adeſt *omnibus rebus*, generali aſſiſtentiâ, *electis*, per gratiam, *humanæ Chriſti naturæ*, per unionem.

XXXIX. Nomen dum Chriſto datum dicitur, intelligitur autoritas.

Nomen non ſignificat nomen, ut Pontificii & Lutherani volunt, unde etiam videas, dum nominatur nomen *Jeſus*, eos pileis depoſitis genua flectere; in quo tantò major abſurditas liquet, quod dum Chriſtus aut Deus appellatur, nemo illorum pileum

pileum attingat, quaſi Jeſus quid majus eſſet quam Chriſtus aut Deus. At per nomen, ut diximus, intelligitur autoritas. Hinc Act. 4. quærunt ſacerdotes, *quâ poteſtate aut quo* nomine *vos hoc feciſtis*.

XL. Cum Chriſtus dicitur dari in Sacris literis, ſæpe per (dari) notatur manifeſtari.

Dicitur res dari cum manifeſtatur, ita Chriſtus Joh. 16. dicit, *glorifica me pater eâ gloriâ quam habui apud te, antequam mundus eſſet.* Non petit ſibi dari, ſed manifeſtari talem qualis fuerat gloriam.

XLI. Chriſtus quà Deus miracula edebat.

Qua Deus dicimus, in quo ipſos Pontificios habemus aſſentientes, Becanus certè ita in ſua Theologiâ Scholaſticâ ſentit. *Dices*: quid ergo humana Chriſti natura faciebat? *Reſp.* Declarabat quid divina faceret, unde etiam humana Chriſti naturæ dicitur à Theologis inſtrumentum miraculorum patrandorum, & inſtrumentum non *Phyſicum*, ſed *morale*; Alii dicunt eſſe ſignum interveniens ad cujus præſentiam Deus ſive Divina natura miracula edebat.

XLII. Ubicunque redemptionis fit mentio, & additur pretium quo redempti

dempti sumus, ibi redemptio propriè dicta intelligitur.

Contrariæ sententiæ est Socinus, dicens, non esse propriè dictam redemptionem, sed metaphoricam. At nos propriè dictam dicimus, quia ubi quis dicitur esse liberatus, & illud, quo interveniente liberatus est, pretium dicitur, ibi intelligi oportet propriè dictam redemptionem.

XLIII. Sacrificia Veter. Testament. non offerebantur pro delictis capitalibus privatim, offerebantur tamen in anniversario sacrificio.

Socinus putat non pro omnibus peccatis fuisse sacrificia instituta, quia non instituta fuerunt pro capitalibus delictis, quod quisquam inscius planè omnibus commiserat; At dicimus, privatim non fuisse instituta, quia Deus, qui misericors est, & clementissimus, noluit imponere necessitatem cuiquam (nam in sacrificio privato quisque confitebatur suam culpam) seipsum accusandi, ac propterea in vitæ periculum præcipitandi. Attamen omnia peccata condonabantur in sacrificio anniversario, nam ibi confessio privata non requirebatur, sed generalis omnium peccatorum quorumcunque.

XLIV. Christus nobis per omnia similis

similis est, secundum *naturam*, non secundùm *omnes naturæ infirmitates*.

Infirmitates enim sunt vel *culpabiles*, ut peccata, in his non est nobis similis; vel *inculpabiles*, quales sunt affectus tristitiæ, doloris, lachrymarum, famis, lassitudinis, in his nobis similis est. Deinde infirmitates sunt vel communis pœna peccati, ut potuisse mori, vel particularis, ut morbi, *illas* non *has*, prioris non posterioris generis infirmitates assumpsit.

XLV. Personalitas divinæ Christi naturæ est *per se*, humanæ verò *per assumptionem*.

Quia divina & humana Christi natura non æque faciunt ad constitutionem personæ. Quia hoc repugnat æternitati & immutabilitati naturæ divinæ. Nam quod ab æterno subsistit ad ejus subsistentiæ constitutionem nihil potest facere id, quod in tempore demum factum est.

XLVI. Per assumptionem naturæ humanæ in ὑπόστασιν divinæ, nulla facta est mutatio in divinâ sed tantùm in humanâ naturâ.

Omnis enim mutatio est vel generatio vel corruptio, vel augmentatio, vel diminutio,

nutio, vel alteratio vel motus localis; horum autem nihil in divinam naturam cadit.

XLVII. Unio naturarum Chriſti nobis eſt incomprehenſibilis.

Quia unio eſt rei finitæ, cum infinitâ. Et ſi unio inter Chriſtum & Eccleſiam nobis eſt incomprehenſibilis, multò magis hoc myſterium.

XLVIII. Sacerdos vel eſt propriè dictus vel metaphoricè talis.

Propriè dictus vel typicus eſt vel realis. Typici vel Aaronici vel Melchiſedechiani. Realis eſt ſolus Chriſtus. Adeoque ſi Pontificiorum ſacrificuli jactitent ſe pro Sacerdotibus propriè dictis, dicant oportet, cujus ſint ordinis. An Aaronici, & ſic Judæi erunt; an verò Melchiſedechiani: at hujus ordinis non niſi unicus Chriſtus fuit. Impropriè dicti Sacerdotes ſunt omnes fideles. Apoc. 16. & 5. 10. 1 Petr. 2. 5.

Cap. XII.

De Fœdere.

I. Fœdus inter Deum & creaturas non eſt propriè dictum fœdus, ſed analogicè tantùm.

Estque pactum, quo Deus promittit aliquid homini, & viciſſim aliquid ab ipſo ſtipulatur.

II. Promiſſio ex parte Dei eſt, Stipulatio verò ex parte noſtrâ.

III. Fœdus vel *Spirituale* eſt, vel *Corporale*.

Illo cœleſtia bona promittit, vitam æternam, & quæ ad eam tum obtinendam tum poſſidendam pertinent; *Hoc* corporalia Deut. 27. & 28.

IV. Spirituale fœdus duplex eſt vel *Legale*, vel *Euangelicum*.

Legale quo Deus vitam æternam promittit præſtantibus legem. Levitic. 18. 5. *Qui fecerit ea vivet in eis*, quod iniit Deus in paradiſo cum homine integro. Quo primi parentes noſtri violârunt, adeoque rei facti ſunt mortis æternæ. Deinde poſt lapſum repetiit Deus idem fœdus Deut. 5. 1 Reg. 8. 21. 1. Ut oſtenderet quid noſtri ſit officii. 2. Ut nos obedientiæ noſtræ commonefaceret. 3. Ut omne os obſtruatur, & totus mundus condemationi obnoxius fieret. Rom. 3. 19. 4. Ut ex lege eſſet cognitio peccati. Rom. 3. 10. *Euangelicum* fœdus eſt, quo Deus promittit ſe fore Deum noſtrum in Chriſto, id eſt, benedicturum omni benedictione ſpirituali,

tuali, & viciſſim à nobis poſtulat, ut ambulemus integrè coram ipſo.

V. Fœdus Dei Euangelicum cum hominibus non eſt *univerſale*, ſed *particulare*.

Quia Chriſtus non eſt omnium mediator, nec omnes ſunt fœderati ejus. In V. T. non fuit univerſale. Quia ibi diſtinctio inter ſemen mulieris & ſerpentis, quod ſanè poſterius non fuit in fœdere Et Deus cum Abrahamo & familiâ ejus pepigit Gen. 17. nec cum omnibus illis qui ex Abrahami familiâ ſunt quoad carnem ſed fide Abrahamī præditis. Rom. 2. & 9. Non fecit ſic ulli genti. Pſal. 147. Hinc ſanguis Chriſti dicitur ſanguis fœderis, quod eo expiata ſint peccata fœderatorum. Tum etiam quia convertuntur electi cum fœderatis, & hi cum illis. Rom. 11. per totum. Ut verò non omnes electi; ita non omnes fœderati. Hinc etiam illa diſtinctio inter filios *carnis* & *promiſſionis*. Rom. 8. 9.

VI. Fœdus Euangelicum vel *vetus* eſt vel *novum*.

Hoc eſt vel veteris, vel Novi Teſtamenti. Quod tamen utrumque idem eſt quod *ſubſtantiam*, etſi *circumſtantiis* variet. Quia utriuſque teſtamenti objectum Chriſtus eſt,

etsi in veteri *exhibendus*, in novo *exhibitus*; etsi vetus obscurius, novum clarius; etsi vetus signa habuerit magis molesta, quàm novum. Pascha enim non sine sumptibus, circumcisio non sine dolore celebrari potuit. Baptismus & Cœna Domini (quæ signa sunt novi fœderis, ut Pascha & circumcisio veteris,) absque utroque.

VII. Fœdus vel *operum* est vel *fidei*.

Coincidit distinctio cum illâ, quâ fœdus aliud *legale*, aliud *Euangelicum* dicebatur. *Illud* fuit cum stipulatione *operum*; *hoc fac & vives*. *Hoc* cum stipulatione *fidei*: *crede & salvaberis*. Requiruntur equidem & in hoc opera, verùm non primariò, ut scilicet ex iis homo justificaretur, sed *consequenter*, ut signum sint gratitudinis, experimentum fidei non fictæ, atque adeò ædificatio proximi.

CAP. XIII.

De Justificatione.

I. Justificatio alia est *activa*, alia *passiva*.

Verbalia in *io*, plerumque ita accipiuntur, justificat enim Deus, & nos justificamur.

II. Ju-

II. Justificatio passiva posterior est fide.

Posterior est fide passivâ; quia per fidem accipimus remissionem peccatorum. Act. 26. 18.

III. Aliter nos justificat Deus, aliter Christus mediator, aliter Sp. Sanctus, aliter fides, aliter bona opera.

Deus justificat nos *imputando* nullo modo peccata, & imputando justitiam Christi. Christus *merendo*, Sp. Sanct. *applicando*, bona opera *declarando*. Illa posteriora duo à Th. ita efferri solent. Fides justificat *effectivè*, bona opera *declarativè*.

IV. Justificatio est actus Dei *moralis*, non *realis*.

Duplex est actio Dei in peccatore. Una *moralis*, quæ est justificatio, Altera *realis* quæ est regeneratio. *Moralis*, ut diximus, consistit in eo, ut nobis non imputet peccata, sed imputet justitiam Christi. *Realis* in sublatione reali peccati.

V. Justificatio nostri non fit gradatim.

Quia simul & semel omnium nostrorum peccata conjecta sunt in Christum. Cæterum hoc intelligendum est de justificatione

activâ; nam *passiva* justificatio toties fit, quoties homo pœnitentiam agens, per fidem apprehendit remissionem peccatorum.

VI. In oratione dominica, dum petimus remissionem peccatorum, non petimus *actum* ejus, sed *applicationem* & sensum.

Disceptant Theologi, si, inquiunt, remittuntur nobis peccata unico actu, cur ergo petimus remissionem fieri in oratione dominica: *Resp.* Petimus quoad *applicationem* & sensum, non quoad *actum*.

VII. Per justificationem nostri tollitur *reatus*, at non tollitur *peccatum* de *facto*.

Pontificii disputant, annie possit tolli reatus & non peccatum? *Resp. Affirmatur*, quia potest esse peccatum in homine, & tamen reatus ipsi non imputatur.

VIII. Fides *sola* justificat, non *solitaria*.

Distinctio est in solum & solitarium! ita *solus* oculus videt, sed non est *solitarius* cum videt, hoc est, non est sejunctus ab aliis partibus & membris. Ita *solus* pes ambulat, sed non *solitarius*.

IX Ei-

IX. Fides *actualis* justificat, non *habitualis*.

Testatur hoc Sp. Sanctus Act. 26. per fidem, inquit accipimus remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos. *Obj.* Atqui fides cessat in dormiente. Ergo cessabit etiam justificatio. *Resp.* Negando, nam fides est actus moralis in justificatione, & actus moralis non necesse est ut perpetuò sit, sed sufficit fuisse vel aliquando fieri.

X. Justificatio nunquam tollitur in fidelibus, sed *sensu* ipsis tollitur aliquando, ut fit in tentationibus.

Legitur sæpè in S. literis fideles ita conspernari, ut putent se abjectos à facie Dei, hoc est, destituuntur sensu gratiæ justificationis, quæ tandem redit; non enim finit Deus suos tentari ultra hoc, quod ferre possint. 1 Cor. 10. 13.

XI. Alia est justificatio *imputata*, alia *imputativa*.

Pontificii dum audiunt à nobis, justitiam nostram non esse nisi imputatam, calumniantur nos, justitiam nostram esse putativam; sed ista distinctissima sunt, ut quilibet videre potest.

XII. Justitia nobis imputata est *moraliter*, non *physicè*

Quæritur an juſtitia ſit in nobis? *Reſp.* Non *Phyſicè*, hoc eſt *inhærenter*; ſed *moraliter*, hoc eſt per imputationem.

XIII. Juſtitia alia eſt *perſonæ*, alia *cauſæ*.

Juſtitia perſonæ eſt quâ ſtamus coram facie Dei. Juſtitia cauſæ eſt; quæ etiam cadit in reprobos, poteſt enim quis habere bonam cauſam, qui etiam alienus eſt ab eccleſia. Et de hac juſtitiâ loquitur David, *Domine judica me ſecundùm juſtitiam meam, & ſecundùm integritatem meam pronuncia de me.*

XIV. Juſtificatio eſt actus forenſis Dei.

Diſceptant nobiſcum Pontificii quid ſit juſtificare, & illi inquiunt *juſtum facere* per infuſionem juſtitiæ. Nos negamus & dicimus nihil aliud eſſe & ſignificare, quam abſolvere à peccato, ut ad Rom. 4 & 1.

XV. Juſtificatio talis eſt actus Dei, qui nunquam revocatur.

Hoc eſt qui ſemel eſt *juſtificatus*, ſemper manet. *Obj.* ex Matt. 18. Ubi dicitur, gratiam retraxiſſe, cui condonaverat. *Reſp.* Ex parabolis non deducendum argumentum niſi ratione ſcopi.

XVI. Bona opera non præcedunt juſti-

juſtificandum, ſed ſequuntur *juſtificatum.*

Eſt regula Auguſtini, quæ nititur ſcriptura; nam qui non eſt juſtificatus, eſt mala arbor, illa autem non poteſt bonos fructus ferre. Matt. 7.

Cap. XIV.
De Regeneratione.

I. Regeneratio aliter ſe habet ratione *primi momenti*, aliter ratione *progreſſûs.*

Ratione primi momenti homo ſe habet *merè paſſivè*, ratione progreſſus cooperatur cum Deo.

II. Regeneratio eſt perfecta *partibus*, non *gradibus.*

Diſtinctio hæc maximi uſus eſt: nam ſæpè occurrunt voces iſtæ, *perfecti integri*, at hæ non notant perfectionem *graduum*, ſed *partium.*

III. Perfectum vel integrum aliquando accipitur prout opponitur hypocritico, aliquando prout opponitur imperfecto. Dum pii dicuntur perfecti, intelligendi ſunt per-

fecti primâ significatione, non posteriori.

IV. Regeneratio non datur perfecta in hac vitâ, sed obtingit demum in solutione animæ à corpore.

Liquet hoc ex istis quos dies Domini repertura est in vivis; nam hi antequam rapientur in occursum, à Christo mutabuntur: pari ratione anima fidelis dum à corpore dissolvitur, regeneratur, & ita ad Deum transfertur.

V. Dum in decalogo jubemur diligere Deum ex toto corde, non intelliguntur vires istæ *quæ sunt* in regenito imperfectæ, sed *quales esse debebant*.

Pontificii hinc inferre volunt quod homo Deum perfectè colere possit, quia inquiunt, habet vires. *Resp.* Non postulat Deus id tantùm ab homine quod habet, sed etiam quod habere debet. Adeò ut decalogus non ostendat quid homo possit, sed quid debeat, & ad quid diuinitùs obligetur.

VI. Renati sive regeniti non peccant voluntate *plenâ*, sed voluntate reluctante & fracta.

Hinc in scripturâ dicuntur *non dare operam*

vana

ram peccato, item *non peccare*; At verò ratio irregenitorum alia eſt, nam illi ſiſtunt membra ſua arma injuſtitiæ, & operam dant peccato.

VII Fideles regeniti peccant non *ex malitiâ*, ſed ex *infirmitate*.

Sunt qui hoc rident. Et quæritur, an infirmitas, cujus quis ſibi cauſa exiſtit, excuſari poſſit. *Reſp.* Certè non, at verò dum dicimus non intelligimus accerſitam illam infirmitatem, ſed cui homo fidelis repugnat quantum poteſt, & repugnando aliquando ſuccumbit.

VIII. In regenitis *manet* peccatum, dum in hac vitâ ſunt, ſed non *regnat*.

Habitat non regnat; Nam Rom. 7. dicitur habitare; Rom. 6. dicitur non regnare in regenitis.

IX. In regenitis potior eſt caro quam Spiritus *malo* & Spir. *virtute*.

Comparant Theologi carnem Goliatho, Spiritum Davidi.

X. Spiritus ſuperior eſt carne, non quod *ſemper vincat*, ſed quod ſemper *pugnam redintegret*, & tandem in fine vincat.

Vin-

Vincit aliquando caro Spiritum, ſed ita vincit ut Spiritus continuò pugnam redintegret, & tandem vincat, non quidem viribus propriis, ſed in Chriſto Jeſu, in quo pluſquam victores ſumus, ut Rom. 8. Dici ſolet à Theologis vincit ſæpè caro *prælio*, ſed Spiritus *bello*.

XI. Homo unus idémque quoad eaſdem facultates, eſt *regenitus* & *caro*.

Quâ parte regenitus eſt, dicitur *homo novus*, quâ parte irregenitus, dicitur *vetus homo*.

XII. Homo regenitus perfectus eſt in hac vitâ *deſiderio & voto*, non autem *re ipsâ*.

Hoc eſt, homo quidem deſiderat & optat perfectam regenerationem, at re ipſâ non conſequitur.

XIII. Regenerationis gradus dantur in hac vitâ, non tantùm in ſe, verum etiam in ſubjectis.

Magis regignitur unus quam alter, hinc magis adulti quam infantes.

XIV. Lucta adverſus peccatum duplex eſt, vel carnis adverſus Spiritum, vel contrà.

Armi-

Arminiani, dum nos proferimus luctam ex Epiſt. Rom. 7. *Spiritus adverſus carnem*, dicunt eandem luctam reperiri in hominibus irregenitis, ſed inepte. Nam in illis caro horret peccare non *virtutis amore*, ſed *formidine pœnæ*. At vero ubi luctatur caro cum ſpiritu tam formidine pœnæ, quam amore boni & amore Dei id fieri certum eſt.

XV. Aliud eſt *captivare* aliquem, aliud *captivum habere*.

Caro captivat ſpiritum, ſed non tenet captivum, quia perpetuò pugnam reſtaurat.

XVI. Aliud eſt, *eſſe ſubjectum peccato*, aliud *eſſe ſervum peccati*.

Subjectum eſſe nihil aliud eſt quam obnexium eſſe, quod etiam in regenitos cadit. At verò ſervum eſſe peccati, non tantum eſt obnoxium eſſe peccato, ſed etiam ultrò ſe offerre ad peccandum, & carnis concupiſcentias tanquam imperatoris leges adimplere, quod irregenitorum eſt.

XVII. Fides alia eſt *habitualis*, alia *actualis*.

Habitualis eſt pars regenerationis, actualis eſt effectus habitualis.

XVIII. Regeneratio eſt actus Dei realis.

Di-

Dicitur realis, ut sit contradistinctia justificationi, que est actus moralis.

XIX. Regeneratio est opus solius Dei.

Quia non minorem potentiam requirit regeneratio, quam creatio: At creatio solius Dei est. Ergo.

XX. Regeneratio nunquam cessat in regenito.

Qui enim geniti sunt non ex carne neque ex sanguine, illis dedit potestatem filios Dei vocari. Joh. 1.

XXI. Regenerati in hac vitâ carnales ex parte sunt.

Habetur hæc regula. 1 Cor. 3. Undè distinctio ista, quod alii sint carnales ex toto, quales sunt homines irregeniti, alii ex parte.

XXII. Regeneratio quoad primum momentum fit in instanti.

Solent Theologi regenerationem à justificatione in eo distinguere, quod scilicet regeneratio non sit simul & semel tota, justificatio non sit simul & semel tota.

CAP.

Cap. XV.

De bonis Operibus.

I. **Bona opera in hac vitâ ſunt imperfecta.**

Qualis enim fons, tales rivuli.

II. **Homines irregeniti faciunt aliquando bona opera *quoad ſubſtantiam* ſed non quoad *circumſtantiis* operis.**

Subſtantia operis dicitur, quando faciunt illud quod lex præcipit. Circumſtantiæ operis tres à Theologis nominantur. 1. ut fiat ad mendatum Dei. 2. ut fiat ex fide. 3. ut fiat tendátque ad gloriam Dei.

III. **Bona opera neceſſaria ſunt ut *antecedens* ad *conſequens*, non ut *cauſa* ad *effectum*.**

Docet hoc paſſim Sp. ſanctus, cum negat propter opera noſtra vitam æternam contingere. Et interim etiam docet, ſine ſanctimoniâ non poſſe videri Deum. Heb. 12. 14.

IV. ***Benè operantibus*** **dabitur vita æterna, ſed non *propter bona opera*.**

Liquet Mat. 25. ubi dicitur Eiurivi &c.

V. Bo-

V. Bona opera ſunt *moralia* & *ſpiritualia*.

Diſtinctio iſta obſervanda eſt, eò quod homo irrigenitus adjutus Dei gratiâ, quæ eſt *gratia coercitionis*, & *directionis*, bona opera moralia facere quoad ſubſtantiam, at nullo modo ſpiritualia præſtare poteſt.

VI. Bona opera ſunt interna vel externa, ut peccatum eſt internum vel externum.

VII. Bonis operibus datur merces impropriè dicta.

Datur enim ex *gratiâ*, non ex *debito*; Rom. 4. Meritum ut aliquid ſit, oportet ut habeat quatuor requiſita. 1. ut ſit indebitum. 2. ut proficiſcatur ex viribus ejus qui meretur. 3. ut vergat in ejus commodum de quo quis mereri ſe putat. 4. ut non ſit merces major quam meritum.

VIII. Bona opera quæ præſtant gentiles placent Deo, in tantum, ut propterea juſtificaturus ſit ex parte & in *tantum* ſed non in *totum*, in extremo judicio; ſecundò quia illa remuneratur bonis temporaneis.

Pro-

Propterea pœnas leviores toleraturi ſunt in inferno, & remunerantur bonis temporalibus, ut liquet in obſtetricibus Exod. 1.

IX. Bona opera gentium dicuntur peccata *per accidens*, non per ſe.

X. Non nomina ſed adverbia faciunt bona opera.

Hoc eſt, quod non tantum bonum eſt, ſed quod benè quoque fit; benè autem illud fit quod fit ex fide ad gloriam Dei, ex mandato Dei.

XI. Non perſona propter opera, ſed opera propter perſonam Deo placent.

Probatur. Gen. 4. Reſpexit Deus Abelum & ſacrificium ejus.

CAP. XVI.
De Eccleſia.

I. Ecclesia eſt *viſibilis* & *inviſibilis*.

Non hæc diſtinctio eſt generis in ſpecies, ſed vocis. Eccleſia enim quatenus notas habet ex quibus cognoſcitur, eatenus dicitur viſibilis, quatenus verò in iſtâ eccleſiâ ſunt electi inviſibiles & ſoli Deo noti, eatenus inviſibilis eſt.

II. Ec-

II. Eccleſia alia eſt *triumphans*, alia *militans*.

Diſtinctio hæc fundamentum habet in ſcripturâ ; ſunt enim jam aliqui ſalvati , & hi dicuntur eccleſia triumphans ; aliqui verò adhuc in terris militant contra diabolum , carnem & mundum , & hi dicuntur eccleſia militans.

III. Eccleſia alia eſt univerſalis , alia particularis.

Univerſalis quæ eſt per totum orbem terrarum diſperſa. Particularis quæ eſt in uno aliquo loco.

IV. Regimen eccleſiæ internum eſt *Monarchicum* , externum *Democraticum*, *Ariſtocraticum*.

Internum ſolum caput Chriſtum agnoſcit ; externo verò poteſtas pertinet ad eccleſiam , exercitium pertinet ad Doctores.

V. Excommunicatio alia major eſt, alia minor.

Major eſt quæ propriè excommunicatio vocatur . Minor eſt ſuſpenſio ab uſu cœnæ ad tempus , propter culpam aliquam commiſſam.

VI. Regimen eccleſiaſticum differt à Politico.

Dif-

Differt 1. Objecto, quia potest esse membrum politicum bonum, qui non est membrum ecclesiæ. 2. Quia magistratus punit reos sive pœnitentiam agant, sive non: at magistratus ecclesiasticus non punit eos qui agunt pœnitentiam.

VII. Ecclesia particularis tota deficere potest sed Catholica non.

Liquet hoc ex Ecclesiis istis Apocalypticis; deficit autem dupliciter, tum quia fideles evocantur ad mortem; tum quia aliò migrant.

VIII. Ecclesia deficere potest tum ratione fidei, tum ratione morum.

De moribus nihil dubii est: de fide certum est. Errârunt enim Apostoli in doctrinâ de resurrectione Christi, de regno Christi, quæ sunt articuli fidei.

IX. Ecclesia etiam errare potest in fundamento, sed non pertinaciter neque finaliter.

Liquet hoc in Apostolis qui erraruntin fundimentali capite doctrinæ de resurrectione.

X. Ecclesia est columna veritatis *politica*, non *architectonica*.

XI. Ec-

XI. Ecclesia agit ex auctoritate, privatus ex *officio*.

Gravius igitur peccat qui non audit ecclesiam; quam privatum aliquem, privatus enim agit tantùm ex officio.

XII. Ecclesiæ non credendum nisi ex scriptura loquatur.

Liquet. Gen. 17. *si ex præstituto legis loquutus fuerit.* Matth. 28. ite & docete &c. *quæ præcepi vobis.*

XIII. Non est ipsi in cœlis pater cui non est in terris ecclesia mater.

Non est hic sensus regulæ, quod oporteat cum necessitate salutis esse in Ecclesiâ particulari, nam possunt aliqui esse captivi soli, quibus non datur facultas sese aggregandi ecclesiæ; sed hic sensus est, quod oportet esse membrum ecclesiæ *catholicæ* qui salvari velit; & ratio est, quia debet esse membrum Christi, quod est ecclesia.

XIV. Ecclesia est visibilis, vel invisibilis.

Invisibilis ratione formæ, hoc est, fidei; visibilis ratione materiæ, hoc est, hominum.

XV. Propter ecclesiam Deus mundum tollerat.

Li-

Liquet Eſai. 1. niſi reliquiſſet nobis Deus ſemen benedictum, omnes facti fuiſſemus ſicut Sodoma & Gomorra.

CAP. XVII.

De Sacramentis.

I. Sacramenta novi Teſt. dicuntur *antitypa* veterum, non quod vetera fuerit typi, ſed quod nova ſucceſſerunt in locum veterum.

De eo nobiſcum contendunt Pontificii, an vetera fuerint typi noſtrorum: illi affirmant, ſed refelluntur, quia corporea res non poteſt eſſe antitypus rei corporeæ.

II. In ſacramento diſtinguendum eſt *materiale & formale.*

Materiale ſunt Symbola, formale ſignificatio Symbolorum.

III. In Sacramento diſtinguendum *ſignum* à re *ſignata.*

IV. Baptiſmus & circumciſio ſunt ſacramenta *initiationis* & aſſumptionis in eccleſiâ. Agnus paſchalis & cœna dominica ſunt *nutritionis* & continuationis in Eccleſiâ.

V. Ba-

V. Baptiſmus eſt alius *flaminis*, alius *fluminis*, alius *ſanguinis*.

Ita diſtinguere ſolent antiqui ſcholaſtici & patres; & quidem ipſa ſcriptura diſtinguit in baptiſmum aquæ & ſpiritûs. Joh. 3. Quod verò dicant de ſanguine, eſt alluſio quædam, ſanguinem verò baptiſmi vocant martyrium.

VI. In cœnâ Domini nulla eſt tranſmutatio ſignorum in res ſignatas aut exiſtentia rerum ſignatarum in ſigno, ſed ſigna vocantur res ſignatæ metaphoricè, non propriè.

Contrà Pontificios & Lutheranos, illi enim panem tranſmutari in corpus, hi vero corpus eſſe in pane ſtatuunt, ut qui non expendunt locutionem ſacramentalem, qualem etiam habemus. Gen. 17. ubi circumciſio vocatur fœdus, agnus paſchalis tranſitus.

VII. Mutatio elementorum in cœnâ non eſt *naturæ*, ſed *uſus*.

Verbi gratiâ. Eſt quidem panis, ſed adhibetur in alium uſum, ſic etiam de vino.

VIII. In cœna domini tropus eſt nec in ſubjectio, nec in prædicato, ſed in copulâ.

Diſ-

Disceptant valdè inter se Theologi ubinam tropus sit in verbis istis, *Hoc est corpus meum*. Nos dicimus in copulâ, quemadmodum in istis: septem vaccæ *sunt* septem anni, item semen *est* verbum Dei; ibi enim copula est accipitur pro significare, sic etiam in illo.

Obj. Copula copulat res, ergo non est tropus. *Resp.* Copulat res vel propriè, vel improprie.

IX. Aliquando de masculino pronomen neutrius generis prædicatur.

Ut, triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres.

X. Non *privatio* sacramentorum, sed *contemptus* damnat.

XI. Nihil habet rationem sacramenti nisi extra usum legitimum.

XII. Nullum signum est sacramentale, nisi habeat analogiam cum re signatâ.

Hoc Augustini est, fundatum in naturâ sacramentorum; nam dicitur analogia esse in effectis, verbi gratia. Sicut panis pascit corpora nostra ad vitam hanc temporariam; ita etiam corpus Christi per fidem acceptum pascit animas nostras ad vitam æternam.

nam. 2. Sicut panis tranſit in naturam noſtram ut unum ſit nobiſcum; ita corpus Chriſti per fidem acceptum unitur nobiſcum, ita ut unum quodammodo ſimus.

CAP. XVIII.

De ſtatu animarum ante Reſurrectionem.

I. Duo duntaxat loca ſunt quo deferuntur animæ poſt mortem, Infernus & cœlum.

Ut paſſim ſcriptura hoc teſtatur, ſic etiam Matt. 7. de lata & anguſta via. Joh. 5. docetur, quod is qui credit habet vitam æternam, qui verò non credit *jam* condemnatus eſt. Limbus igitur patrum, infantum, & purgatorium damnantur, tanquam traditiones hominum præter ſcripturam loquentium.

II. Animæ quæ in cœlis ſunt nondum fruuntur perfecta felicitate; prout nec animæ quæ in inferno ſunt, debito cruciatu torquentur perfecto.

De animabus fidelium certum eſt. 1. Qui cum corporibus nondum ſunt conjunctæ, atque

atque adeo, quod non omnes hoſtes ita devinctos videant, ut amplius nihil poſſint in ipſas, & hoc eſt quod Sp. Sanctus 1 Cor. 15. vult, dum agit de perfectâ felicitate, dicit inter alia, quod hoſtis ultimus ſit abolendus. 2. Quia nondum vident fratres ſuos & omnia membra corporis Chriſti ſecum. Quod ad animas damnatorum, illæ etiam nondum cruciatibus debitis excruciantur: liquet hoc ex ipſis diabolis qui nondum perfectè cruciantur. Marc. 5. clamant ad Chriſtum dicentes, quare veniſti nos ante tempus cruciare. 1 Pet. 3. Jud. 6.

III. Animæ piorum ſeparatæ à corporibus orant in communi pro eccleſiâ militante, ſed non in particulari aut ſingulari.

1. Quia angeli qui ſunt fratres noſtri, orant pro nobis. 2. Quia jam major eſt gradus Charitatis in fidelibus defunctis, quàm fuerat cum eſſent in vivis, utpote perfectè regeneratis.

IV. Fidelium animæ ſeparatæ à corporibus, non norunt quæ in his terris geruntur, nedum perfectè norunt.

Poſterius volunt Pontificii & dicunt

quod in essentiâ Dei tanquam in speculo videant omnia. At absurdum; Dei enim solius est scire omnia. Si res ita esset, ut Becanus Jesuita observavit, quæ causa esset quod ignorarent diem judicii? nam de hoc dicitur quod nec filius hominis noverit. Et contrà, multa in sacris Litteris habemus, eos nihil scire eorum quæ in terris geruntur, ut 2 Reg. 22. 20. Esai. 63. 61.

V. Nullus eorum qui excluduntur à regno cœlorum, sentiet tantum *pœnam damni*, sed etiam *sensus*.

Contra Pontificii, qui dicunt infantes non baptizatos, quidem sentire pœnam damni, sed non sensûs; sed falsum, nam Sp. Sanctus dicit quod omnibus erit fletus & stridor dentium. Luc. 13. 18.

VI. Animæ hominum corruptis corporibus non pereunt.

Philosophi Ethnici hoc animadverterunt, idcirco etiam docent, quod cum anima rationalis inorganica sit, ut & independens in agendo à corpore, ita etiam in essendo. Scriptura hoc clarissimè testatur Matth. 10. Nolite metuere eos &c.

VII. Anima rationalis est immortalis.

Fluit hoc ex priori, quomodo immortalis? *Resp.*

Resp. 1. Immortalem esse *privativè* non *negativè*. 2. Dicimus non posse interire ut moriatur, est eorum qui animam habent; sed ita potest interire ut annihiletur, ille enim qui animam ex nihilo fecit, eandem etiam in nihilum redigere potest.

CAP. XIX.

De Resurrectione.

I. Resurrectio dupliciter accipitur.

1. Ut opponitur ei qui non supersest à morte, & hoc modo accipitur cum de Sadducæis refert Scriptura, quod dicant non esse resurrectionem, id est, negant quenquam supersesse à morte; aliquando verò accipitur pro resurrectione carnis, ut in symbolo Apostolico, *credo resurrectionem carnis.*

II. Eadem caro resurget quoad substantiam, non quoad qualitates.

Obj. Socin. *Caro & sanguis non possidebunt regnum Dei.* 1 Cor. 15. *Resp.* Notum est carnem accipi vel pro parte essentiali hominis, & ita resurget, Job. 19. *In carne meâ videbo Dominum*: vel accipitur pro depravatione naturæ, ut Rom 8. 6, 7, 8, 9. Et certè talis non hæreditabit regnum Dei.

III. Resurrectio fidelium & reproborum habet diversas causas.

Fidelium resurrectio præter decretum Dei causam habet Christi resurrectionem, ut hoc prolixè probatur. 1 Cor. 15. At vero reprobi resurrectionis suæ causam habent decretum Dei potentiâ suffultum : & hinc etiam ratione propriæ resurrectionis Christus dicitur *primogenitus mortuorum*, Col. 1. Quod scilicet sit caput omnium in beatâ resurrectione.

IV. Resurrectio futura est in corporibus habilibus, non inhabilibus.

Disceptant aliqui in qualibus corporibus resurrecturi simus, an corpora futura sint æqualia, quæ quidem quæstio hactenus curiosa est. At verò utut corpora sint inæqualia, erunt tamen habilia. Apoc. 20. 12. hoc est, quod non sint infantilia futura, nam certè embrio resurget, tamen ineptum esset in tali corpusculo, quod vix apiculæ corpus adæquat resurrecturum; Idem de infantibus cogitandum, qui sæpè parvi nascuntur. Verbi gratiâ. Illi quorum trecenti nati unâ vice dicuntur, quorum singuli vix muris justi quantitatem habebant.

V. Homines omnes resurrecturi sunt omnibus membris, non mutilati.

In-

Inter alia etiam hæc nobis Socinus objicit, quod multorum membrorum usus nullus esse poterit in cœlis. Ut membrum nutritionis, generationis & similia. *Resp.* Fines esse duplices, nobis ignotos & notos; fatemur multorum fines nos ignorare, propterea non sequitur res non futuras. At quod omnibus membris simus resurrecturi, liquet ex Christo salvatore, quemadmodum enim ille resurrexit, ita & nos resurgemus, sed hoc liquet. Præterea ex iis, quos dies Domini inventura est, nam illi cum omnibus membris immutilati resurrecturi sunt.

VI. Resurrectio futura est omnium non eodem momento, sed successivè.

Docet hoc Spiritus sanctus 1 Cor. 15.23. Interim sciendum est eodem tempore omnium resurrectionem fore, ut hoc arctè teneamus contra illos, qui statuunt martyres mille annos ante omnium resurrectionem resurrecturos, & cum Christo in terra regnaturos; Nam Sp. S. non nisi duos adventus Christi visibiles ponit, unum in carne dum factus est homo, alterum in carne, dum venturus est judicare vivos & mortuos; & cum adventu hoc conjungit statum resurrectionem mortuorum. Mat. 24. vers. 30.31.

CAP. XX.

De Innovatione Mundi.

I. MUndus interibit non ſecundum *ſubſtantiam*, ſed ſecundum *accidentia*.

Quemadmodum mundus aqua perpurgatus eſt in diluvio, ita etiam igne perpurgabitur in extremo judicio. 2 Petr. 3. v. 11, 12, 13.

II Ignis iſte non futurus eſt *ordinarius*, ſed *extrordinarius*.

Habemus duas ſpecies ignis in S. literis, extraordinarium, qualis fuit iſte ignis quo ardebat dumus, aut iſte, qui etiam lapides combuſſit in ſacrificio Eliæ: alterum ordinarium, quo utimur in uſu quotidiano. Hic autem ignis quo omnia ſolvendur, erit extraordinarius; nam aget in elementa.

III. Perire dicitur aliquid non tantùm tum, cum ſubſtantia perit, ſed etiam quando accidentia pereunt.

Liquet hoc tum ex aliis, tum ex verſu iſto.

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas.

IV. Creare aliquid dicitur non ſecun-

ſecundùm *ſubſtantiam* tantùm, ſed etiam ſecundùm *accidentia*.

Ita Pſal. 51. Cor mundum crea in me Domine; & hinc etiam eſt, quod regeniti dicuntur nova creatura.

V. Judicium Dei eſt vel *condemnationis*, vel *abſolutionis*.

Quando dicitur de fidelibus, quod non venient in judicium, tum intelligitur judicium condemnationis, hoc modo etiam illud Pſal. 143. intelligendum: Domine ne ingrediaris in judicium cum ſervo tuo.

VI. Judicium aliud eſt univerſale, aliud particulare.

Univerſale erit extremum, Particulare fit quotidie in diſceſſu animæ à corpore.

VII. Redeunt animæ quæcunque ad Deum, vel ad judicem, vel ad patrem.

Eccl. 12. 9. Socinus inde concludere voluit, quod impiorum animæ non ſint reſurrecturæ; quia omnes animæ redituræ ſunt ad Deum. At conſequentia nulla eſt, illæ redituræ ſunt tanquam ad judicem, *hæ* ut ad patrem.

VIII. Judicabit Chriſtus non excluſo Patre aut Sp. Sancto.

Etiam hoc urgent Sociniani quod pater non ſit judicaturus. Joh. 5. Pater non judicat quenquam. *Reſp.* Malè hoc accipiunt ſi abſolutè intelligant; Nam non judicat pater quenquam abſque filio, alioquin ipſum judicare liquet. Rom. 2.16. *In die illo quo judicabit Deus de rebus occultis hominum ex Euangelio meo per Jeſum Chriſtum.*

IX. Chriſtus judicabit ſecundùm utrámque naturam, divinam & humanam.

Secundum divinam *cognoſcendo* peccatâ, *pœnas infligendo* & vitam *conferendo*: ſecundùm humanam, *ſententiam pronunciando* & divinæ ſententiæ judicia *approbando*, qualiter etiam nos dicimur judicaturi 1 Cor. 6. verſ.8.

X. Non peragetur judicium hoc in particulâ terræ tantùm, ſed etiam in totâ terrâ & aere.

Pontificii volunt in valle Joſaphat, ídque ex Joel. 3. 2. Sed ineptè, nam ibi agitur de judicio particulari in hac terrâ, de gentibus, quæ adduci debebant eò ad puniendum. Quod ad poſterius, illud ſatis à nobis in locis communibus probatum.

XI. Judicium hoc celerrimè peragetur.

Sunt

Sunt qui duraturum putant per ſex annorum millia, ſed ineptè; nam in momento peragetur, ut liquet èx iſtis quos dies domini vivos reperiet, nam in momento mutabuntur & rapientur in occurſum.

XII. Dicuntur judicandi vivi & mortui.

Ejus ſenſus hic eſt, non quod mortui judicabuntur, ſed quod illi qui mortui fuerant, poſtquam reſurrexerunt, judicabuntur, ita ut vivi hîc dicantur illi qui non ſunt mortui. Socinus ait judicare mortuos, eſſe, facere ut mortui in morte maneant, ita ut non ſint reſurrecturi: adeoque hanc pœnam ipſorum futuram, quod nim. ipſis in morte manendum ſit. Sed ineptè. Contrarium exſtat. Joh. 5.38.

XIII. Judicium futurum eſt ex lege, non ſecundùm Euangelium.

Quia ex lege peccatum cognoſcitur. Cæterùm aliqui ſunt qui putant ex Euangelio & ſecundùm Euangelium judicatum iri, ex loco Rom. 2. Ubi dicitur judicaturum Deum ſecundùm Euangelium. *Reſp.* Euangelium ibi nihil aliud ſignificare, quam annunciationem Pauli & præconium ejus. Paulus autem non tantum Euangelii; ſed & legis doctrinam prædicavit.

XIV. Juſtificabuntur reprobi aliqui ex parte.

Hoc eſt, abſolventur à pœnâ, non quidem abſolutè, nam omnes reprobi condemnandi ſunt; ſed quoad gradum, proinde etiam dicitur conditionem Sodomitarum tolerabiliorem fore quam illorum in die judicii. Mat. 11.

CAP. XXI.

De Glorificatione.

I. GLorificatio erit eadem *naturâ* non *gradu*.

Liquet Dan. 10. ubi illi qui reſurgent, comparantur partim firmamentis, partim ſtellis.

II. Deum videbimus non abſolutè *ſicut eſt*, ſed ſicut erga nos *eſt comparatus*.

1. Joh. 3. Videbimus Deum ſicuti eſt, dicitur, ſed hoc non abſolutè intelligendum, ſed ita videbimus eum perfectiſſimè, quatenus ſe erga nos declaravit pater. Hoc eſt cognituri ſumus perfectè quæ & quanta in nos contulit beneficia.

III. In vitâ futurâ erit notitia inter homines, ſive beatos, tùm eos

qui

qui unà convixerunt, tum omnes alios.

Teſtatur Joh. 19. ubi dicitur, & videbunt eum quem transfixerunt; quod etiam alios agnituri ſimus quos non noverimus, id liquet Matth. 17. ubi conſpecti ſunt Moſes & Elias cum Chriſto colloquentes; dicitur enim de Petro quod ipſos noverit, & quod dixerit Chriſto, faciamus tria tabernacula, &c.

IV. Salus conſiſtit tum in liberatione à malo, tum in vitâ æternâ.

Salus eſt ens aggregatum; duo enim notat, tum liberationem à malo, & dationem boni, & quidem prioris cauſa eſt mors, poſterioris cauſa ſancta vita cujúſvis eſt.

V. Diſtinguitur vita à ſalute.

Vita æterna competit Angelis abſolutè; nobis verò non competit abſolutè, ſed ut ſalus.

CAP. XXII.

De Condemnatione.

I. Condemnatio eſt ens aggregatum, non ſimplex.

Conſtat enim ex pœnâ damni & ſenſûs.

II. Pœna ſenſus eſt etiam ens aggregatum.

Con-

Conſtat enim ex morſu conſcientiæ, & angoribus & honoribus, quod Spir. Sanct. explicat per ſtridorem dentium, ex moleſtia quam percipient tum ex loco, tùm ex ſocietate cum diabolis & aliis reprobis; ſicut etiam ex clamoribus reproborum.

III. Ignis qui dicitur fore in inferno, non erit materialis, ſed dicitur ita figurativè.

Quia aget in Diabolos; corporeus autem ignis id præſtare nequit.

IV. In inferno non erit deſperatio.

Quia nullæ promiſſiones; deſperatio opponitur promiſſionis privationi. Ubi ergo non erunt promiſſiones, ibi nec oppoſitum, deſperatio.

V. In inferno peccaturi ſunt homines.

Sunt enim blaſphematuri Deum.

VI. Infernus erit certo loco.

Non ergo, inter orbes cæleſtes. Nos probabiliorem ſententiam aſſerimus, fore in terris, quia inter judicandum reprobi in terrâ manebunt. Sed parum in eo ſitum eſt. Nobis danda eſt opera ut ita vitam inſtituamus, ne eò demur præcipites.

CEN-

CENTURIA DISTINCTIONUM GENERALISSIMARUM.

Praecognita.

Diſtinctio eſt determinatio Subjecti & Prædicati : aliàs limitatio, modificatio, conciliatio ; cujus examen & lydius lapis continetur ſequentibus Theorematibus.

I. Diſtinctio eſt vel *generalis*, vel *ſpecialis*.

Generalis fit terminis communiſſimis, quorum uſus eſt omni facultatem genere, ut *Actu primo* & *ſecundo*, *abſolutè* & *reſpectivè*, *per ſe* & *per accidens* : Specialis fit in ſpecialibus ad Specialem aliquam & reſtrictam Diſciplinam pertinentibus, ut Ethicus inter *vulgarem* & *heroicam virtutem*, Politicus inter *telum offenſivum* & *defenſivum* diſtinguit.

II. Utraque diſtinctio fit per diverſos reſpectus, quorum oportet conſiderare *Conditiones* & *Species*.

III. Con-

III. Conditiones diverſorum reſpectuum ſunt tres. 1. *Convenientia.* 2. *Diverſitas.* 3. *Perſpicuitas.*

IV. Convenientia eſt quâ diſtinctio petita eſt ex viſceribus rei & ex ipſâ naturâ Subjecti & Prædicati.

Sophiſtia ergo eſt quando diverſi reſpectus pugnant cum rei ipsâ. Quare quæ vera ſunt contradictoria, *explicitè*, ut Deus eſt ligneus, vel *implicitè*, ut homo eſt leo, hæc inquam nullo modo conciliari poſſunt. Ad veram autem contradictionem requiruntur iſta quatuor. 1. Idem Subjectum & Prædicatum. 2. Ut dicatur *ſecundum idem*, hoc eſt, ſecundùm eandem partem. 3. Ut fiat *ad idem*, hoc eſt *ad eundem reſpectum* & eodem plane modo. 4. Ut ſit *eodem tempore.*

V. Diverſitas eſt quando diſtinctio non eſt eandem cum re quam diſtinguit, ſed illius quædam circumſtantia.

Inanis ergo eſt ταυτολογία, ſi quis dicat, *corpus eſt ſenſili modo inſenſile.*

VI. Perſpicuitas eſt quando diſtinctio eſt clara adeoque facilè explicabilis, non autem chymerica vel vitrea.

Mala

Mala enim communis est distinctio illa quorundam Scholasticorum inter veritatem *Theologicam* & *Philosophicam*. Vitium 1. Contra hanc committitur, quia distinctio est explicabilis. 2. Chymerica dicuntur quæ sunt salebrosa. 3. Distinctio vitrea est quæ habet fucum seu colorem. 4. Cum Scholastici deberent explicare hoc Sophisma; Mus habet pedem, &c. dicebant murem habere pedem *irrationalem*, *rationale* enim pertinet ad totum hominem.

VII. Species diversorum respectuum sunt, quorum alii sunt *diversarum rerum*, alii *diversorum modorum*.

Modi sunt veluti *noli*: ut nodus facit ad rei firmitatem, ita modus rei: quo modum rei tenet, ipsam rem tenet.

Omnis distinctio profluere debet ex *diversis*, non *adversis*.

VIII. Respectus diversarum rerum petuntur ex ipsis formis.

Ut si quis distinguat inter artem & artificem, inter *Philosophiam* & Philosophum; *rem* & rei *formam*, *substantiam* & *accidens*, *nomen* & *factum*; Hujusmodi distinctiones sunt circa diversas materias, hoc est circa diversa subjecta.

NB. 1. Qui confundit artem cum artifice malè

malè agit. 2. A Perſonâ ad rem non valet conſequentia; ut Nero & Caligula fuerunt mali principes, ergo magiſtratus eſt malus. 3. Ab accidente ad ſubjectum non valet conſequentia, hoc eſt ab *abuſu* ad *uſum*. 4. Vetus Teſtamentum fuit abrogatum quoad *circumſtantiam* non quoad *ſubſtantiam*.

IX. Reſpectus diverſorum modorum petuntur ex unius ejuſdémque rei multiplici determinatione.

Modus enim rei nihil aliud eſt quàm reſtrictio rei & determinatio. Sunt autem quatuor claſſes modorum. 1. Modus Eſſendi. 2. Prædicandi. 3. Cognoſcendi & conſiderandi & incipiendi. 4. Modus habendi ſe aliter atque aliter.

Huc pertinent diſtinctiones, *mediatè & immediatè*, *Primariò & Secundario*, *à Priori & Poſteriori*; *Naturaliter & Sacramentaliter*. Primariò ac mediatè agit princeps per officiales. Deus cognoſcitur *à poſteriori per effectum*, non *à priori per cauſam*. Panis conſecratus dicitur corpus Chriſti *ſacramentaliter*.

X. Duæ ſunt Diſciplinæ modorum magiſtræ. *Phyſica* & *Logica*; *illa* modum *Eſſendi*, *Cognoſcendi*; *hæc* modos *prædicandi* exponit, proponit.

1. Non

1. Non omnis Disciplina modos explicat. 2. Prima est Physica & Metaphysica. 3. Qualis est essentia talis Prædicatio. 4 Modus prædicandi necessariò sequitur modum essendi, ut non possumus dicere stellam esse animatum, quia essentia talis non est. Item panem esse corpus Christi. Nam panis est verus panis, Corpus autem dicitur *sacramentaliter*.

XI. Accuratè oportet distinguere inter axiomata *limitata* & *illimitata*, inter propositionem *limitatam* & *illimitatam*.

Quo observato, facile erit respondere ad Syllogismum illum etiam à Magistratis nostris frequentatum: Qui dicit vestras theses esse theses, verum dicit Qui dicit vestras theses esse falsas theses, dicit vestras theses esse theses; ergo, qui dicit vestras Theses esse falsas theses verum dicit. Argumentum hoc puerile est, & Sophisma viris doctis indignum, resolvendum ex hoc Axiomate: A propositione illimitatâ, ad limitatam non valet consequentia. Major enim illiminata est, qui dicit vestras theses esse theses. Minor limitata; qui dicit vestras theses esse falsas theses. Dicere theses illimitatum est, &, dicere falsas theses limitatum. Ergo non valet consequentia. Est animal. Ergo canis?

Sunt

Sunt theſes ergo falſæ. Secundùm quid autem aliquid dicitur quinque modis. 1. *Reduplicativè*, quod fit per eſſentiam, ut homo quatenus eſt homo, eſt rationale animal. 2. *Genericè* hoc eſt Prædicamentaliter, quod fit per genus, ut homo quâ homo corpus habet trinæ dimenſionis. 3. *Partialiter*, quod fit ſecundùm partem, vel quandam partem, ut homo eſt mortalis quantum ad corpus. Chriſtus eſt ubique qua Deus. 4. *Accidentalis externa*, quod fit per accidens externum; ut Euangelium movet ſeditiones non per ſe, ſed per accidens. Jacob eſt Pater & Filius, diverſa Comparatione. *Accidentalis interna* dicitur quæ fit per accidens internum, ut bona opera renatorum ſunt perfecta, *perfectione partium*, non *graduum*.

XII. Fallacia à non limitato ad limitatum eſt, cum quis accipit ſimpliciter quod cum reſtrictione accipi debuit.

Frequens eſt hic fallacia Arrianis de Perſona Chriſti diſſerentibus. Chriſtus enim minor Patre eſt non ratione *eſſentiæ*, ſed *officii* vel œconomiæ, per reſpectum humanæ naturæ & officii mediatorii.

XIII. Neque Plato, neque Ariſtoteles poſſunt hìc diſtinguere, ut habet

bet proverbium, in iis quæ vera ſunt ſecundum tres gradus, κατὰ πάντος, καθ' αὐτὸ, καθόλου πρῶτον nullum admittunt diſtinctionem. Qui volunt contra principia diſputare produnt ſuam inſcitiam.

XV. Vocabula quædam notant privationem, quædam negationem.

In Deo ſemper notant negationem vocabula, in creaturis & negationem & privationem notant.

CENTURIÆ.

Diſtinctionum Generaliſſimarum.

DECURIA. I.

I. DIſtinctiones illæ fermè æquipollent inter *Eſſentiam* & *Exiſtentiam*; inter *rem in Abſtracto* & *Concreto* conſideratam; in *Ideâ* & *Subjecto*, in *formâ* & *formato*. Item in *momentum primum* & *ſecundum*, Eſſe *generale* & *ſpecia-*

ſpeciale, ſubſtantiam denique *& circumſtantiam.*

Sic, verbi gratiâ, Theol. itémque aliæ facultates & virtutes in ſuâ *eſſentia* conſideratæ, non variant, ſed in *exiſtentia* ſeu ſubjecto variant. Artes quoque & definitiones ſunt ex idéâ, quæ eſt rerum perpetuarum. Momentum primum eſt materia generalis. Momentum ſecundum eſt proprietas Characteriſtica (perſonalis) quæ variat ſubjecta. Prima Decuria eſt manipulus militum, & ſicut milites dividuntur in certos ordines, ita & hic ſub uno ſigno interdum diſtinguuntur aliquot. 2. Eſſentia notat univerſalitatem: plura requiruntur ad exiſtentiam, quam ad eſſentiam, exiſtentia notat Circumſtantiam rei. 3. *Idea* nihil aliud quam forma ſive eſſentia rei. Idea eſt duplex, rerum *univerſalium*, & hæc eodem ſe modo habet, ut natura humana ab initio mundi. *Singularium* rerum eſt mutabilium.

II. Per *ſe* & per *Accidens, ſuâ Naturâ & Determinatione, Eſſentialiter & Accidentaliter, Internâ ratione, & Externâ acceſſione: Formaliter & Abuſivé,* ratione *uſus & abuſus*: ratione *Naturæ & eventus, denominatione Intrinſecâ & Extrinſecâ* æquipollent.

Ita

Ita vinum per ſe exhilarat, per accidens inebriat. Sic divitiæ denominativè intrinſecè ſunt dona Dei, extrinſecè ſunt incitamenta malorum. Euangelium ſuâ naturâ eſt odor vitæ ad vitam, odor mortis ad mortem præter naturam. Huc pertinent & iſta: Abuſus non tollit uſum: tollatur abuſus maneat uſus. Ab eo quod eſt per accidens ad ſubſtantiam rei non valet conſequentia: à Perſona ad rem non valet Conſequentia.

III. Æquivocè & Univocè; Verè & Apparenter; Synonymicè, Homonymicè; Verè & quæ ſunt opinione hominum; Propriè & Impropriè; ſecundum rei veritatem, & nominis ſimilitudinem; reverâ & nominetenus, idem ſunt.

Verbi gratia, Theologia vera eſt univocè, falſa æquivocè; Malum eſt bonum apparenter, opinione peccatoris; Homo vivus verè eſt homo, mortuus eſt nomine tenus. Cæterùm variè Phyſici diſtinguunt hæc tria *Univocè, Analogicè*, & *Æquivocè*. Univocè eſt idem quod perfectè, ut homo eſt animal; iſtud eſt idem quod eſt ſecundum convenientiam & ſimilitudinem rei. Angelus eſt Spiritus *analogicè*, Deus *univocè* & *primo*.

Hoc

Hoc verò idem eſt quod ſecundum Homonymiam, ut Sophiſta eſt Phyſicus Æquivocè & falsò, *illud* remotiſſimum, *iſtud* medium, *hoc* proximum denotat.

(Univoca dicuntur perfecta, Æquivoca multis modis imperfecta. Alii ita: Excluſivè & Nuncupativè. Primo modo diabolus dicitur Deus. 2. Dicitur nomine tenus, μιμητικῶς) Analoga ad rem, æquivoca ad nomen extenduntur.

IV. *Late & Strictè, Laxè & Preſſè, Generaliter & Specialiter, Exotericè & Acroamaticè, Populariter & Philoſophicè* coincidunt.

Ut omnis Diſciplina eſt Ars, latè ſumpto vocabulo artis, ſtrictè non niſi illæ, quæ ſunt directivæ & organicæ. Phyſica ſumitur laxè & ita complectitur Medicinam, Theologiam, vel preſſè & ita contradiſtinguitur reliquis facultatibus. Sic Aër aqua appellatur in ſuis terminis populariter. Directivæ Diſciplinæ ſunt quæ dirigunt nos in rerum & verborum cognitione. Organicæ dicuntur, quæ ſuppeditant inſtrumenta ad eas. Artes dicuntur, quæ redeunt ad hominem artificem.

Quatuor dicuntur facultates, & dicuntur Quadriga generis humani, ut Theologia, Phyſica, Medicina, Juris prudentia. Stylus ſacra-

ſacrarum Literarum eſt popularis; Scriptura enim non Philoſophatur.

V. *Abſolutè & Reſpectivè*, Conſideratione *abſolutâ & relatâ*, *In ſe & In alio*, *Simpliciter & Relatè*, *Secundùm Eſſentiam Abſolutam & Relatam* ſive Reſpectivam; ſecundùm *naturæ conſequentiam*, & *muneris gratiam*, ſunt unum.

Ita Paulus perſecutus eſt Eccleſiam *Abſolutâ*, Chriſtum *Relatâ* conſideratione. Panis Cœnæ Domini non conſiderandus ſecundùm naturæ conſequentiam, ſed muneris gratiam. Eccleſia in ſe patitur, Chriſtus relatè: Adamus erat mortalis conditione naturæ, immortalis largitione gratiæ. Anima hominis non moritur ſecundum Eſſentiam abſolutam, ſed moritur in relatione ad Deum, hoc eſt, quæ non fruitur viſione Dei. Reſpectus verò ſive relationis poſſunt eſſe intimæ, quarum ſumma capita ſunt loca inventionis Logicæ, ita ut non abs re Logica dici queat volumen Relationum.

VI. Ignorantia *Simplex* & *malitioſa*, *puræ negationis*, & *pravæ diſpoſitionis*, negativa, & affectata ſeu ſophiſtica æquipollent.

Igno

Ignorantia ſimplex excuſat peccatum, quia ſcilicet eſt juris particularis & factiaffectata non item, ſed auget peccatum, qualis ignorantia juris univerſalis. De illa loquitur Paulus: *Ignovit mihi Deus quia ignorans feci.* De hac dicitur: Eccleſia ignorans, ignorabitur ſcilicet in judicio.

[Dolus bonus ſunt ſtratagemata Sophiſtica, bellica, & militaria; in bello non licet Sophiſticari. Jus particulare eſt jus nationale, quod in certo aliquo loco viget.]

VII. *Formaliter & Eminenter, Subjectivè & Effectivè, Eſſentialiter & Virtualiter, Reipſa & Eximiè* idem notant.

Ut vinum eſt calidum non *ſubjectivè* ſed *effectivè.* Stella dicitur & calida eodem modo. Deus erit omnia in omnibus *eminenter*, non *formaliter*. Sol eſt calidus in ſe & Effectivè.

VIII. *Actu primo & ſecundo; Actu ſignato & exercito,* ſcilicet potentiâ activâ: *formâ & operatione; Eſſentiâ & emanatione, Proprietate Eſſentiali, & virtute actuali* æquipollent.

Sic ratio eſt in infante actu primo non ſecundo: Fides non perit in electis quoad for-

formam, quamvis pereat quoad operationem. Sol, ignis, & ſimilia nunquam amittunt actum primum, licet per omnipotentiam Dei poſſit in ipſis inhiberi Actus Secundus.

IX. Cognitio à *priori* & *poſteriori*, *intellectualis* & *ſenſualis*, *diſtincta* & *confuſa*, *perfectiva* & *imperfectiva*, *comprehenſiva* & *apprehenſiva*, *adæquata* & *inadæquata* ſunt idem.

Verbi gratiâ, Deum non cognoſcimus à priori, quia non vult aliquem ſui cauſam; ſed à poſteriori, non comprehendendo, ſed apprehendo. Cæterùm à priori & poſteriori ſæpe eſt idem, quaſi ex parte ante & poſt. Ut ſolus Deus eſt æternus à priori, ſed & angeli & homines pii à poſteriori, quia habent initium, ſed non habebunt finem.

X. *Eſſentia* & *eminentia*, *forma* & *gradus*, *Perfectio partium* ſcilicet Eſſentialium & *graduum*, Perfectio *prima* & *ſecunda*, *Perfectio Eſſentialis* vel Eſſentiæ & *quantitativa* æquipollent.

Ut religio non facit ad *Eſſentiam* reipſa, ſed ad *Eminentiam*. Omne Ens eſt perfectum perfectione prima, non verò ultimâ. Bona

opera renatorum perfecta ſunt perfectione partium, non graduum. Epiſtola ad Romanos perfecta eſt perfectione Eſſentiali, etiamſi non ſit perfecta perfectione quantitivâ, quæ eſt totius canonis. A Poſitivo ad ſuperlativum non valet conſequentia, Poſitivus eſt Eſſentiâ, Superlativus Eminentiâ. A negatione modi ad negationem rei non valet conſequentia.

DECURIA II.

I. ACtus & habitus differunt, ut *minus & majus*.

Hinc vitia actualia non ſunt tam enormia quam habitualia. Verbi gratiâ, ebrietas in Noa actualis veniam meretur, in Cambiſe habitualis non item [Actus eſt ipſa operatio. Habitus eſt rei poſſeſſio & actio, ſæpe iterata & confirmata. Habitus eſt difficulter mobilis.] Actus in vitiis magis laudatur quam Habitus, in virtutibus autem habitus magis laudatur quam Actus. Una enim hirundo non facit ver.

II. Per *naturam & Gratiam* idem eſt quod *à ſe & gratioſâ communicatione*.

Verbi gratiâ, Deus eſt æternus per naturam, Angeli boni per gratiam (ſcilicet juſtitiam

tiam remunerantem, cui opponitur juſtitia puniens.

III. *Cumulativè & Privativè*, ac *Collativè & Ablativè* coincidunt.

Sic populus poteſtatem dicitur reſignaſſe Principi ſcilicet cumulativè; item voluit cumulum poteſtatis Principi dare, hoc eſt plenam poteſtatem; nec ſpoliavit ſe illa poteſtate. Deus Pater omnem poteſtatem dediſſe filio dicitur, ſcilicet collativè, vel cumulativè, ut per eam regat Eccleſiam.

IV. Aliud dicitur in ſenſu *formali*, aliud in *Cauſali*.

Ut vinum dicitur calidum, Saturnus frigidus, non in ſenſu formali, ſed cauſali, per Metonymiam effecti.

V. Aliquid dicitur in *ſenſu abſoluto* vel *comparato*.

Ut Angeli boni dicuntur impuri in collatione cum Deo. Lux nonnunquam dicitur obſcura in Comparatione cum majori, quo ſenſu Aſtronomi quaſdam ſtellas vocant nebuloſas.

VI. Ex *parte Rei* & *ex parte conceptus*, ex *merito rerum*, & *ex merito intellectus*: *juxta rationem* & *naturarum conſiderationem* æquipollent.

Ut multæ ſunt proprietates Dei eſſentiales, non ex parte Dei, ſed ex parte conceptus noſtri; ſic Deus eſt in prædicamento Subſtantiæ propter noſtrum conceptum.

VII. Aliquid punitur *privativè* vel *poſitivè*.

Privativè cum aliquid ipſi denegatur, ſicut poſteri Protoplaſtorum ſunt puniti in lumbis ipſorum; Sic filii proditorum perfidorum puniuntur poſitivè, cum pœna irrogatur facinoribus.

VIII. Defectus eſt vel *Negativus*, vel *Privativus*: & quælibet imperfectio eſt vel privativa, vel negativa: Hæc non eſt mala, ſed illa.

Sic in humanâ Chriſti naturâ locum habuit ignorantia negativa (aliis defectus miſerabiles) ſed non ignorantia privativa (aliis affectus culpabiles.) Porrò imperfectio negationis ſolet & dici *comparata*; ut Adam imperfectus erat in ſtatu innocentiæ in ordine ad Deum: Huc pertinet quod vocula IN ſumatur & privative & negative, Homo dicitur injuſtus privative, Deus immortalis, inviſibilis negative. Negativa pertinent ad contradicentia, privativa ad privantia.

IX. *Intenſive* & *Extenſive* non accipiuntur

piuntur eodem modo, imò non idem ſunt quoad virtutem & molem.

Ut Deo tribuitur Quantitas virtutis ſeu Intenſiva, non materialis ſeu extenſiva. Intenſio reſpicit gradum excellentiorem, Extenſio objecta: quo ſenſu fides & reliquæ virtutes Theologicæ dicuntur imperfectæ intenſive non extenſive.

X. *Deſertio* eſt vel *Probationis* vel *Punitionis*.

Illo modo aliquis deſeritur, ut virtutes ipſius manifeſtæ fiant & roborentur, ſic Deus deſeruit Adamum labentem. & Præceptor deſerit Diſcipulum in arenâ Diſputationis: Poſteriori modo aliquis deſeritur ob vitium ſuum, ſicut Deus deſeruit Pharaonem & Apoſtatas; Parens filium ſic exhæreditat.

DECURIA III.

I. *Materiale* & *Formale* accipiuntur duobus modis.

Materiale eſt res conſiderata, forma eſt modus conſiderandi, ut in Ethicis, res conſiderata eſt virtus; modus conſiderandi eſt formalis. 2. Materiale idem eſt quod ſubjectum relationis, formale eſt ipſa relatio, ut in limite & pane Euchariſtico videre eſt; ſic

in familiâ & Politiâ eſt aliquid materiale, ſed non quoad formale, hoc eſt unionem virtutis. Formale relationis non incurrit in ſenſus, ſed percipitur vel intelligitur fide.

II. *Materiale & formale* opponuntur.

Ut Deus eſt in loco *materialiter*, id, eſt in omni re, cujus materia quædam dicitur locus reſpectu creaturæ; ſed non formaliter ratione ſui: ſic Deus facit impium materialiter, hoc eſt, ſubjectum illud facit in quo eſt impietas; ſed non formaliter, hoc eſt, non infundit impietatem. Impietas enim non eſt ex creatione, ſed accidit.

III. Ignorantia eſt vel *Formalis* vel *Interpretativa*.

Formalis eſt defectus ſcientiæ, ut ſi quis neſciat rationem officii ſui. Interpretativa eſt defectus elocutionis illius rei, quam alioqui intelligimus: ita in rebus divinis, & aliis ſublimoribus perſæpe nobis hæret lingua, in dextrâ & commodâ interpretatione & pronuntiatione.

IV. *Eſſe reale & eſſe Cognitionis*, ſive eſſe Cognitum, idem eſt quod eſſe rei & Objectum.

Ut omnes res fuerunt in Deo quantùm ad eſſe cognitum, ſed eſſe reale acceperunt in tempore.

V. *For-*

V. *Formaliter* & per *Concomitantiam* opponuntur.

Ut Generatio unius est corruptio alterius; scilicet propter necessariam sequelam & per necessariam connexionem.

VI. *Respectus* & *Despectus* opponuntur.

Ut omnis creatura dicitur imperfecta Respectivè, hoc est, contemplativè, non Despectivè.

VII. *Simpliciter* & *Respectivè* opponuntur duobus modis, hoc est, idem sunt quod *propriè* & *impropriè*.

Quo sensu tutores dicuntur Patres respectivè; Julius Cæsar dicitur pater Augusti respectivè. 2. Respectivè idem est, quod cum distinctione; ut si quis simul nominet sex vel plures, ex quibus duo vel tres sunt ipsius cognati, utiatur hâc voculâ respectivè.

VIII. *Auctoritativè* & *Nunciativè*, idem est quod *Principaliter* & *Ministerialiter*.

Ut Deus solus remittit peccata Auctoritativè, Ministri nunciativè. Princeps init fœdus cum hoste principaliter & auctoritativè, Legatus ministerialiter.

IX. De *Jure* & *facto* ac quæſtio *juris* & *Facti* idem ſunt.

Ut Papa ſibi vendicat Italiam de facto, non de Jure; Turcicus Imperator vendicat ſibi Conſtantinopolin de facto. Quæſtio facti eſt Tyrannorum per fas & nefas.

X. Amor eſt *communicationis* & *complacentiæ*.

Ut Deus ab æterno nos amavit amore communicationis, ut eſſemus ſancti; ſed amore complacentiæ non amat, niſi credentes. Amor antecedens eſt Communicationis: Conſequens ſive Dilectio eſt Complacentiæ.

DECURIA IV.

I. *Gradus* rerum eſt vel *Excellens* vel *Remiſſus*, ille dicitur gradus *intenſus* vel *Excellentiæ*, hic *poſitivus* infra mediocritatem.

Ut ignis eſt calidus in gradu excellenti, aër in remiſſo. Virtutes cadunt in imbecillitatem humanam remiſſe, non excellenter, ita nullus regenitus in hac vita eſt in gradu excellenti, ſed remiſſo. Ex parte idem eſt quod remiſſe.

II. *Ordo* eſt vel *numeri*, vel *virtutis*;

tutis; hic, non ille ſpectari debet in Oeconomicâ Societate &c.

Et hic ordo nihil aliud eſt quam unio in virtute morali, Civili, Spirituali. In Eccleſiâ eſt ordo numeri & virtutis, non verò numeri tantùm. Papa vetat ordinem numeri, ſed non virtutis.

III. *Ordo Doctrinæ* eſt vel *ſapientiæ* vel *Potentiæ*.

Ille eſt accuratus tanquam libra Critolai & regula Polycleti; iſte eſt popularis & veluti regula Lesbia.

IV. *Notitia* eſt *Theoretica* & *Practica*, hoc eſt, *nuda* & *effectiva*.

Illa eſt quâ quis intelligit, & dicitur ſimplicis intelligentiæ, hæc eſt quâ quis rem cognitam, ſolido affectu complectitur: illo modo Deos novit impios, iſto non niſi pios.

V. *Præſtantius*, & *Eligibilius* differunt.

Illud eſt quod ſua natura eſt dignius, hoc quod propter certas circumſtantias præferendum aliis; ut aurum eſt præſtantius ferro, ſed ferrum eſt fabro ferrario eligibilius quam aurum: & vinum licet ſit generoſius aqua, tamen hæc Venetis & Belgis eſt eligibilior.

VI. *Bonitas* eſt vel *Naturalis*, vel *Moralis*, vel *Supernaturalis*.

Illa eſt omnis Entis, quô pactô & Diabolus eſt bonus, *iſta* eſt virtus Ethica, qualis fuit & in gentibus, *hæc* Chriſtianorum quatenus credunt.

VII. *Bonum eſt tale* vel *Simpliciter*, vel in *Relatione ad bonum*, & hoc dicitur bonum neutrum, ſive indifferens.

Ut divitiæ ſunt bonæ quatenus ſunt inſtrumenta virtutis. Idem judicium eſto de omnibus bonis corporis & fortunæ, quæ menſuram ſuam à bonis animi & amabilitatem habent, ita pulchritudo potiùs dedecus dicitur, ſi nulla virtus adſit.

VIII. *Cognitio* eſt vel *Intuitiva*, vel *Abſtractiva*.

Illa eſt perfectior, quàm hæc, hinc Deus omne cognoſcit intuendo, non abſtrahendo, in altera vita videbunt Deum Electi intuitivè. Illa videtur ipſa res, hæc ſpecies ſive imagines rerum.

IX. *Appetitus* eſt vel *Innatus* vel *Elicitus*, ille inditus eſt creaturæ, hic excitatus ab objecto.

Sic omnes animæ rationalis feruntur ad glo-

gloriam Dei appetitu innato, appetitus autem ille eſt abſque præviâ cognitione, & hoc modo appetit homo ſcire, ſcilicet appetitu ordinato. Eſt enim duplex *appetitus* ratione objecti ſui, *Ordinatus* & *Inordinatus*; Ille vult finem & media, hic finem tantùm. Dum homo magis magiſque cognoſcit alicujus rei præſtantiam, appetit illam appetitu elicito.

X. *Tranſcendentale* & *Prædicamentale* plurimùm differunt.

Tranſcendentale eſt quod ſuperius eſt omni Prædicamento. Eſtque vel ſingulariſſimum, ut Ens. Prædicamentale eſt quod ad certam Entis Categoriam pertinet, ut ſunt decem ſumma genera rerum. Ubi teneatur regula, Deus & quicquid de Deo dicitur habet rationem Tranſcendentis. Hinc actiones & relationes divinæ non ſunt Accidentia ſed Tranſcendentia.

DECURIA V.

I. *Aſſertivè* & *Narrativè* opponuntur.

Ita dicimus nos aliquid commemorare *narrando*, non *aſſerendo*; quo pertinet diſcrimen inter mentiri & mendacium dicere; multi enim minimè mentiuntur cum mendacium

dacium dicunt ; Mentiri enim eſt contra mentem ire, cum non conſentit Os & Conſcientia.

II. *Hiſtoricè & Oratoriè* ſunt idem quod *nudè & Symbolicè.*

Hinc dicimus aliquem laudare Oratoriè, hoc eſt, cum Schemate rhetorico ad cœlum uſque tollere.

III. *Abſtractè & Applicatè* opponuntur.

Abſtractè idem eſt quod in ſe ipſo. Applicatè idem quòd in legitimo uſu. Verbi gratia, Hypocritæ accipiunt Sacramentum abſtractè, non applicatè. Idem eſt judicium de inſtrumentis & mediis quibuſvis. (Omne Inſtrumentum habet ſuam perfectionem à fine & legitimo uſu.)

IV. Δύναμις & Ἐξουσία differunt.

Illa eſt actualis poſſeſſio, hæc facultas; ſic *omnipotentia & omnis poteſtas* differunt: illa enim eſt attributum Deitatis, hæc Mediatoris: & data eſt ei omnis poteſtas ratione Officii & Oeconomiæ. Imperator Romanus habet poteſtatem recuperandi Orientem, tametſi deſtituatur potentiâ.

V. Poteſtas eſt vel *Pura & Abſoluta*, vel *Limitata & Mixta.*

Ita-

Ita populus Univerſus habet poteſtatem abſolutam, Princeps limitatam, quippe à legibus fundamentalibus & populo pendentem. Princeps pendet à lege *Naturæ*, *Divinâ* & *fundamentali*. Quatenus ergo *homo* eſt, dicitur obſervare *legem naturæ*; quatenus *Chriſtianus*, legem *Divinam*, quatenus *Princeps*, legem *fundamentalem*.

VII. *Secundùm Potentiam* & *ſecundùm Propoſitum* differunt.

Ita Logicus & Sophiſta idem ſunt ſecundùm Potentiam, ſed non idem ſecundùm Propoſitum. Logicus enim non habet principium fallendi. Sic bonum opus ſæpe male fit, quia non fuit ibi bonum propoſitum. Hypocritæ & boni viri eſt quidem una Potentia, ſed non una intentio; Nam ambo frequentant templum, ſed diverſo fine & modo.

VII. *Secundùm Proprietatem* & *Similitudinem* plurimùm differunt.

Verbi gratiâ, Solus Deus eſt bonus ſecundùm proprietatem, Creatura autem ſecundum ſimilitudinem. Unde patet proprietatem rei non omnem cauſari; ſed ſimilem effectum poſſe producere, ut cum ſol illuſtrat aërem.

VIII. *Par*

VIII. *Par* & *Simile* differunt tanquam *magis* & *minus*.

Ut homo non eſt Deo *par*, ſed *ſimilis*: Hujus loci eſt diſtinctio illa inter *proportionem paritatis* & *ſimilitudinis*; ut inter finitum & infinitum non datur proportio paritatis, ſed eſt *ſimilitudo* aut *univoca*, ut Alexander Magnus eſt ſimilis Philippo Patri; aut *Æquivoca*, ut homo dicitur ſimilis Deo.

IX *Ordo* eſt vel *Naturalis Conditionis* vel *Potentiæ Dei* abſolutæ.

Juxta Conditionem rei naturalem, fieri non poteſt, ut ſol ſuum curſum ſiſtat, ſed ſecundum potentiam Dei abſolutam. Quia omnes Creaturæ ſunt præditæ *potentiâ obedientiali*. Hoc tamen ita accipiendum eſt, ne potentia Dei abſoluta extendatur ad Contradictoria, ut Deus non poteſt mentiri.

X. Immediatè & Mediatè opponuntur.

Sic Deus quædam agit mediatè, quædam immediatè. Hæc diſtinctio in vitâ humanâ habet uſum, ubi ſuperioribus actio aſcribitur inferiorum. Ita quod legatus agit nomine Principis id ipſe Princeps dicitur agere.

DECURIA VI.

I. *Transitivè & Distributivè* opponuntur.

Illud notat *migrationem*, hoc *communicationem*; sic lux solis est in aëre non transitivè, sed communicativè. Hæc distinctio utilis est in consideratione de Communicatione proprium, quæ non datur. [Proprietas non communicatur, sed effectum proprietatis.]

II. *Esse & Subsistere* differunt ut *commune & Proprium*.

Sic una eadémque Essentia communis est tribus personis, SS. Trinitatis: Subsistentia est cuique propria. Anima hominis non pendet à corpore quoad Essentiam, licet pendeat quoad Existentiam.

III. Sæpe distinguimus inter *Simpliciter & Huic*.

Sic pœna justa est bona secundum se & simpliciter, sed est mala *huic*. Sic serpentes sunt boni secundum se, mali verò sunt huic vel illi.

IV. In Distinctione inter *Essendum & Agendum* multiplex petitur conciliatio.

Nam

Nam accidens excellit in agendo, ſubjectum in eſſendo: in agendo, ita calor in igne calefacit, & ea quæ ſunt extra ignem.

V. *Natura & Oeconomia, Eſſentia & Diſpoſitio, Forma & Diſpenſatio, Materia & Officium*, non ſunt Synonyma.

Ita Chriſto aliud tribuitur ratione Naturæ, aliud ratione Oeconomiæ; ſic in politicis inſtrumenta non ſunt conſideranda ratione formæ ſed officii.

VI. Alia intelligenda ſunt *ſecundùm Eſſentiam*, alia *ſecundùm Prædicationis modum*.

Ut cum Herodes dicitur vulpes, non verba ſed Prædicatio ſpectanda eſt: Idem judicium eſt de omnibus Tropis & Figuris, & diligenter tenenda eſt Regula: *Verba ſunt intelligenda ſecundum ſubjectam materiam.*

VII. *Directè & Indirectè* opponuntur.

Sic aliquid poteſt eſſe in certo Prædicamento indirectè, quod non eſt directè in ullo. Sic Pars eſt indirectè in Prædicamento, in eo ſcilicet in quo totum. Ita Princeps in alios habet imperium directè, in alios indirectè.

VIII. Ra-

VIII. *Ratio agentis & inſtrumenti* **opponuntur.**

Ut Deus confert aliquid tanquam Autor, homo tanquam miniſter. Omne autem inſtrumentum agit diſpoſitivè.

IX. *Effectivè* & *Permiſſivè* **opponuntur.**

Sic bona opera prodeunt à providentiâ Dei effectivè, mala & peccata permiſſivè.

X. *Sufficientia* & *Efficientia* **differunt.**

Ita Præceptor adhibet diligentiam humanam, hoc eſt quæ poſſet ſufficere ad omnes diſcipulos ſolidè informandos, licet illa non ſit efficax in omnibus & ſingulis; ita Deus dedit Protoplaſtis gratiam ſufficientem.

DECURIA VII.

I. *Eſſentialiter* & *Characteriſtice* **opponuntur.**

Et eſſentia quidem eſt natura communis, Character eſt natura ſingularis; ſic riſibilitas eſt proprium totius ſpeciei humanæ; competit autem huic vel illi. Ita tres perſonæ SS. Trinitatis ex æquo habent proprietates Eſſentiales, perſonas non item.

II. *Pro-*

II. *Proportio* eſt vel *Arithmetica* vel *Geometrica*.

Illa conſiſtit in æqualitate differentiarum: hæc inæqualitate rationum. Ibi eſt æqualitas commutativa, hîc diſtributiva. Porrò Deus O. M. proportionem Arithmeticam in regimine mundi ſervat.

III. *Inter rem ipſam & rationem dicendi* oportet diſtinguere.

Multa enim ſæpius in modo locutionis, magis quam in re ipſa differunt. Notari autem debet quod de verbis minus laborandum ſit, ſi res ipſa intelligatur.

IV. *Dialecticè & Analyticè, Declamatoriè & Logicè, Oratoriè & Metaphyſicè*. Sunt idem quod *populariter & ad amuſſim*.

Ita Poſteriores Eccleſiaſtici ſæpe rhetoricantur, ubi non iniquum fuerit imò æquiſſimum ad ſtateram artificii omnia examinare; Idem judicium eſto de ſcriptis Claſſicorum, quorundámque Theologorum, Politicorum. &c.

V. *Supra Naturam & contra Naturam* differunt.

Nam quod eſt ſupra naturam, naturæ limites tranſcendit, quod eſt contra naturam per-

perimit naturam. Verbi gratiâ. Articuli fidei non ſunt contra naturam, ſed ſupra naturam, quia gratia accedit ad naturam, eámque excedit, non abolet.

Obſervandum eſt nihil dari poſſe, quod ſit contra *naturam Univerſalem*, tametſi multa dantur, quæ ſunt contra *naturam particularem*; talia ſunt mala tam culpæ, quam pœnæ. *Contra* notat Excellentiam, *Supra* repugnantiam. Peccare eſt contra naturam, quia deſtruit eam, ut homo cum peccat eſt brutum, nam illius imaginem deſtruit peccando. Natura Univerſalis reſpicit ſpeciem, hanc diabolus conatur deſtruere, ſed Deus nunquam permittit, ſed particularem permittit deſtrui.

VI. *Eſſe & Habere, Eſſentialiter & Habitualiter* Coincidunt.

Ut, Deus eſt bonus eſſentialiter, homo habitualiter. Tot autem ſunt modi eſſendi, quot modi Prædicandi. Pro tempore enim aliquid habet veram quantitatem, qualitatem, figuram. Huc pertinet Diſtinctio inter *quod* & *quale*; ut Deus eſt ſapiens, ſapientia de eo prædicatur in *Quo*; ſed homo eſt ſapiens, ſapientia de eo prædicatur in *Quale*: Sæpe τὸ habere eſt idem quod poſſidere, quô ſenſu ſolus Deus dicitur habere immortalitatem.

tatem. [*Quod* notat Subſtantiam ; *Quale* Accidens omne quod ſupervenit.]

VII. *Medium* eſt vel *participationis* vel *Negationis*.

Illud nihil habet commune cum extremis, ut virtus eſt medium bonarum actionum. Nihil enim eſt vitiorum. Hoc habet aliquid commune cum extremis , ut omnes colores ſunt medii inter album & nigrum , quicquid congregat viſum communicat cum nigredine; quod diſgregat , cum albedine.

VIII. *Totaliter* & *Partialiter* opponuntur.

Ut Electi amittunt fidem non totaliter, ſed partialiter. Et homo dicitur interire *partialiter*; nam anima non interit, ſed corpus reſolvitur in ſua principia, ſcilicet Elementa.

IX. *Explicitè* & *Implicitè* , *totidem verbis* & *bona conſequentia*, *Expreſſe* & *Analogice* ſunt Synonyma.

Sic multa continentur in ſcriptura , ut & in jure Juſtinianio non ad literam ſed ad ſenſum ; ſic Trinitatis vox non habetur in Scriptura , ſed habetur Analogia : Nam dicitur quod Deus ſit trinus.

X. Pugnantia in re ipſa & *pugnantia in ſpeciem* non ſibi contradicunt.

Ita-

Ita in Scriptura ſicut & in Jure & alibi multæ ſunt contradictiones apparentes. (Cum duo loci pugnantes occurrunt debent per bonam diſtinctionem conciliari.)

DECURIA VIII.

I. THeſis & Hypotheſis differunt ut *Generaliter* & *Specialiter*.

Huc pertinet illa regula : Transferre Theſin ad Hypotheſin; ſæpe enim Hypotheſin dicimus fundamentum alicujus rei, ut cum dicitur Diſputationem niti falſa hypotheſi, hoc eſt, falſo fundamento.

II. *Medium Rei* & *Perſonæ*, *Arithmeticum* & *Geometricum*, *Æqualitatis* & *Rationis* æquipollent.

Illud æqualiter differt à ſuis extremis, ut eſt centrum circuli, hoc inæqualiter diſtat, ut in regula proportionis videre eſt; Illud in proportione Arithmetica, hoc in Geometrica cernitur, illud ſemper idem manet, hoc accommodari poteſt circumſtantiis.

III. *Perfectivum* & *Deſtructivum*, *Salvativum* & *Corruptivum*, *Perficiens* & *Deficiens* opponuntur.

Hinc

Hinc Paſſio, Privatio, Abolitio, Negatio; dividuntur in Perfectivam & deſtructivam: ut reformari ad imaginem Dei, eſt Paſſio Perfectiva; deformari ad imaginem diaboli eſt deſtructiva.

IV. *Senſibile & Intelligibile, Materiale & immateriale, Phyſicum & Logicum, Craſſum & Analogum,* ſunt homonyma.

Ut Angeli dicuntur habere materiam intelligibilem, non ſenſibilem; Cognitio item dividitur in ſenſitivam & intellectivam. [Phyſica ſunt ſenſibilia; Logica verò ſunt intelligibilia,]

V. Status *Quantitatis & Qualitatis* opponuntur, ille conſiſtit in *amplitudine*, hic in *unione virtutis.*

Sic in qualibet ſocietate oportet ſpectare potiùs ſtatum Qualitatis, quàm Quantitatis. Sunt etiam qui Quantitatem diſtinguunt, ita ut Quantitas ſit vel amplitudinis, vel excellentiæ; quo ſenſu Turcicum imperium dicitur majus Romano. Huc quoque pertinet Diſtinctio *in quantum & quale*, ſive inter *gradum & rem ipſam*, inter *modum & Eſſentiam*, ut Electi non amittunt fidem *quoad quale*, ſed quoad *quantum.*

VI. To-

VI. Tota res & Totum rei differunt.

Ut tota res dicatur de ſubjecto ratione alterius partis, totum rei de utráque parte ſubjecti: totus homo intelligit & moritur, ſed non totum hominis; Totus Chriſtus eſt ubique, ſed non totum Chriſti. [Tota res notat Perſonam; Totam Rei notat naturam alterutam vel partem eſſentialem.]

VII. *Finaliter* & ad *Tempus* opponuntur.

Ut electi excidunt ex gratiâ Dei, non finaliter, ſed ad tempus, quo pacto ſol patitur Eclipſin.

VIII. *Philoſophicum* & *Sophiſticum* opponuntur.

Sic ignorantia Philoſophica eſt qua quis paratus eſt, ignorantia Sophiſtica eſt, quâ quis non cupit diſcere.

IX. *Propoſitum* & *Infirmitas*, *Malitia* & *Imbecillitas*, *Datâ operâ* & *Ex infirmitate* opponuntur.

Ut vir bonus peccat non ex propoſito, ſed ex infirmitate.

X. *Gymnaſticè* & *Dogmaticè*; Interroga-

rogative & Definitive; Exercitii gratia & seriò, sunt idem.

Sic multi disputant contra articulos fidei, ut tum se, tum alios exerceant, non ut animi sensa prodant; cum hac Distinctione coincidit, quod aliquid fiat tentativè & assentativè, ut cum Præceptor Discipulo proponit Sophisma.

DECURIA IX.

I. PRincipium Quod & Quo oppoponuntur.

Illud est causa Efficiens Princeps, ipsumque Suppositum quod agit, hoc nihil aliud est quam instrumentum totale; homo est principium quod loquitur, sic tota persona Christi est principium *Quod*, altera natura est principium *Quo*. Hinc facile respondetur ad illud Sophisma: Quicquid videt habet oculos. Tui oculi vident. Ergo tui oculi habent oculos. Item. Quicquid loquitur habet linguam. Tua lingua loquitur. Ergo tua lingua habet linguam. Limitanda est major ex fundamento distinctionis suppeditato inter Principium. *quod & quo*. hoc modo. Quicquid videt scilicet ut *principium quod*, illud habet oculos. Atque oculi

oculi mei non vident ut *principium quod*, ſed tantùm ut *principium quo*; ergo non neceſſe eſt ut habeant oculos.

II. *Magis* & *Majus* differunt, illud notat *intenſionem*, hoc *extenſionem*.

Verbi gratiâ, Subſtantia quidem admittit Majus & Minus, ſed non Magis & Minus. Cæterùm Magis & Minus non variant ſpeciem, ſed gradum, ut infirma fides non differt ſpecie, ſed gradu; ſic virtus heroica gradu tantùm differt à virtute communi.

III. *Eſſentialiter* & *Virtualiter*; *Subjectivè* & *Objectivè*; *in ſe* & *in effectu*, idem ſonant.

Ut juſtitia & miſericordia ſunt æquales in Eſſentia Dei, ſed miſericordia eſt major ratione Effectorum, ſive Objectorum.

IV. *Indifferens* & *Externum* opponuntur.

Ita quidem ut hoc ſit ſimpliciter bonum vel malum, ut virtus & vitium, illud tametſi ſua natura bonum eſt, per accidens tamen ſit malum; ut ſunt divitiæ & plurimæ ceremoniæ, quæ neque præceptæ, neque interdictæ ſunt, ut aperire caput ad nomen Jeſu. Sunt & neceſſariæ ceremoniæ, quæ nituntur aliquo præcepto.

V. *Neceſſitas coactionis & immutabilitatis, violentiæ & naturæ, impulſionis & definitionis* coincidunt.

Neceſſitas coactionis reſpicit locomotivam hominis, quæ ſola cogi poteſt, non voluntatem quæ duci, flecti, perſuaderi poteſt, cogi non poteſt. Neceſſitas verò immutabilitatis reſpicit formam & proprietatem rei, quo ſenſu dicimus Deum neceſſario bonum, ignem neceſſario eſſe calidum.

VI. *Prius naturâ* eſt tale vel *intentione*, vel *generatione*, ſive *ordine naturæ intendentis & generantis.*

Illo modo prius dicitur quod eſt perfectius, ut finis eſt prior mediis, hoc modo prius dicitur quod prius fit, quo ſenſu imperfecta ſunt priora perfectis.

VII. *Diverſa & adverſa* opponuntur.

Diverſa ſunt quæ ita diſtinguuntur, ut poſſint convenire eidem, ut, pietas, & divitiæ: Adverſa ſunt, quæ ita diſtinguuntur, ut non poſſint convenire eidem niſi reducantur ad diverſa, ut ſunt calor & frigus, virtus & vitium. Ex omnibus autem locis inventionis Logicæ poteſt necti conſequentia, exceptis diverſis: Nam quicquid ſequitur vel vi conſenſionis, vel vi diſſenſionis ſequitur; In

diver-

diversis autem neque consensio, neque discensio est necessaria.

VIII. *Necessitas* **est vel** *materiæ*, **& cernitur in** *Axiomate*; **vel** *formæ*, **quæ cernitur in** *Syllogismo.*

Illa cernitur immutabili nexu subjecti & Prædicati, ut Deus est omnipotens. Hæc cernitur in conclusionis illatione ex præmissis, & potest habere locum in materiâ contingenti, imo & in falsa; ut, Asinus habet pennas, ergò volat, hoc necessarium est necessitate illationis, non formæ.

IX. Alius & Aliud differunt.

Ut Aliud notet rem, Alius personam, sic in homine non est alius atque alius, sed aliud atque aliud; ut & in Christo, sed in SS. Trinitate non est aliud atque aliud, sed alius atque alius.

X. Solus accipitur *Categorematicè* **&** *Syncategorematicè.*

Illo modo idem est ac *separatus*, hoc modo idem est ac *solum*, sive *duntaxat*; ut, Oculus videt solus, hoc est, tantùm, sed non solus, hoc est, seperatus à corpore: sic sola fides justificat, ut excludantur opera, scilicet Syncategorematicè; sed non sola, hoc est, separata ab operibus.

DECURIA. X.

I. QUalitas ſive Conditio eſt *Interna* vel *Externa*.

Interna pertinet ad Naturam cauſæ, ut diligentia Diſcipuli: Externa nihil attinet ad rem, de quâ agitur; ut, in foro non eſt ſpectandum an aliquis ſit dives, vel pauper: non agitur, eſt προσοπωληψία, ſi quis pium & diligentem præferat impio & negligenti.

II. *Emanatio* & *Tranſmutatio* differunt.

Ita illa eſt in actibus immanentibus (hoc eſt internis, quæ reſident in agente) ut cùm Deus pater gignit filium: Hæc in Tranſeuntibus, ut eſt Creatio.

[Ubi eſt generatio, ibi eſt mutatio]. Hoc non ſemper valet. Generatio enim eſt ve *Emanativa*, vel *Tranſmutativa*, ex qua ſel quitur mutatio non ex priore illa. Creatio eſt mutatio tranſmutativa, qua Deus mutat ſuum opus, non verò ipſe mutatur.

III. *Totum* eſt vel *Perfectionis*, ut Deus; vel *Compoſitionis*, ut Creatura; illud eſt *totaliter Totum*, hoc per *partes*

IV. *Univerſale* eſt vel in *Eſſendo*,

vel

vel in *Prædicando* vel in *Cauſando*; ut, Deus eſt *univerſalis* non priori, ſed poſteriori modo.

V. *Univerſale* in eſſendo eſt vel *Genus* vel *Species*.

Deus non eſt vel Genus, vel Species, ſed ſummum Individuum: Eſt verò univerſale in cauſando, quod eſt omnium rerum cauſa.

VI. *Bonitas* & *Perfectio* eſt vel *Eſſentialis*, vel *Accidentalis*.

Si ſpectetur prior, illa Deus non potuit meliorem mundum facere, ſed potuit ratione poſterioris.

VII. *Bonum agere* & *bene agere* differunt, ut *majus* & *minus*.

Sic impii multa *bona* agunt, dant Eleemoſynas, &c. ſed ſoli pii *bene* agunt.

[*Bonum agere* notat *actum*; *Benè agere* notat *habitum*.]

VIII. *Latum*, *Leve*, *Leviſſimum*, notat tres gradus vitiorum.

IX. Integrum & *Corruptum*, *Ordinatum* & *Inordinatum*, *Conſtitutum* & *Deſtitutum*, *Bene affectum* & *Turbatum*, opponuntur.

Ut

Ut Natura, Regnum, Societas, quodlibet duobus hiſce modis conſideratur.

X. *Vulgare & Heroicum, commune & excellens, populare & ſupra ſortem* vulgi opponuntur.

Ut cùm virtus diſtinguitur in vulgarem & heroicam.

Regnum naturæ, gratiæ, & gloriæ; Horum limites diligenter ſunt diſcernendæ. *Regnum gratiæ*, eſt potentiæ & providentiæ. *Regnum naturæ*, eſt fidei, prædeſtinationis, & Eccleſiæ militantis. *Regnum gloriæ*, eſt viſionis, gratiæ, & Eccleſiæ triumphantis.

Quâ diſtinctione tanquam cyneâ ſurâ obſignamus hanc diſtinctionum centuriam.

FINIS.